I. N. D. N. J. C.

EXERCITATIONEM ACADEMICAM
DE

ARBITRIS,

IN ALMA STUDIORUM UNIVERSITATE ALTDORFINA
MODERANTE
VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
ET EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
GEORGIO REICHARDO
Hammer/
JURECONSULTO CELEBERRIMO, COD. ET JUR. FEUD. PROF. ORDIN.
FACULTATIS JURID. SENIORE, AC HOC
TEMPORE DECANO SPECTATISSIMO,
PATRONO, PRÆCEPTORE, AC HOSPITE
SUO HONORATISSIMO,
SOLENNI EXAMINI SUBJICIET
IV. IDD. MAJ.
JOANNES ALBERTUS
GUMPELZHEIMER.

ALTDORFI,
Literis HENRICI MEYERI, Univ. Typogr.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DIc, Erato, quare tam triſtia fata ſequuntur
Egregios bellis imperioq; duces?
Arma Cyri fregit mulier, juſsitq; cruorem
Ducere demerſum turpiter utre caput.
Ille pharetrato pollens Oriente Darius
Pellæo juveni præda gemenda fuit.
Pellæus juvenis, cum vinceret omnia, fraudi
Succubuit: Baccho miſcuit illa necem.
Cerne Dionæi florentia Cæſaris arma:
Multa quibus dederat vulnera, multa tulit.
Nulla ſalus armis: nec fert impune cruentas,
Omnia qui ſummo proſpicit axe, manus.
At qui Marticolis amiſſam reddere pacem
Nititur, huic pinguis ſemper oliva fluit.
Hoc herois opus, ſine ſanguine vincere bella:
Omnibus hæc palmis celſior una viret.
Ipſe Dei gnatus manſura voce beavit
Pacificos: auctor pacis & ipſe fuit.

Ipſe Petrum monuit vagina condere ferrum:
Ipſe reſarcivit damna potente manu.
Et tibi, qui calamo Saturnia ſecula condis,
Dum bene paciferum munus obire doces:
Et tibi pro ſtudio, dulcis Cognate, ſalubri
Lætificæ fructus pacis habere dabit.

L M Q F.

JO. LUDOV. PRASCHIUS.

I. N. D. N. J. C.

I.

ARbitrum (materiam, ex quâ, ut non ἀλόγως judicavit *Coraſius ad §. arbitrorum. l. ſocietatem. 76. pro ſocio. num. 1. in fin.* velut ex equo Trojano, uberrimus circa Practicam fructus enaſcitur) repetitione Academicâ, occaſione *tituli π. Cod. & Jur. Can. de recept. arbitr.* ſtylo preſſo demiſſoq; , Θεῦ συνεργοῦντος, repræſentaturus, in inquirendis hujus Vocis incunabulis ſtudiò non ero faſtidiosè prolixior. *Nunneſius Valentinianus in Grammat. Græcâ* Arbitrum dici arbitratur à voce Græcâ βραβευτὴς, κατὰ συγκοπὴν; quæ licet non ſit infrequens, uti tùm aliunde, tùm ex *Robbig. 8. Robigal. cap. 12.* ſatis claret; longè tamen veriſimilior hîc eſt conjectura *Fr. Junii*, quam & prenſat *Gerh. Jo. Voſſius*, Gener, Vir ſeculorum memoriâ dignisſimus, (ita *Rutgerſius 3. Variar. lect. 8.*) *in Etymolog. & Becmannus de Origin. Lat. Lingu.* hâc voce, derivantium illam ab antiquo ar pro ad, quo modo dicebant arcio, pro accio, arceſſo, arvenio, & obſoleto verbo bito pro eo, (quô utroq; aliquotiens Plautum uſum, *Pareus in Lexico Critico* obſervat) quaſi ſcilicet arbiter ſit tertius quidam interveniens, qui accedit & litigia componit.

II. Hæc ita paucis de vocis Etymo; Soliciriores autem nos habebit Homonymia; Πολλαχῶς γὰρ λεγομένων, κἂν μηδὲν διαφέρῃ πρὸς τὸν λόγον, ἀνάγκη τὴν διάνοιαν ἀορίστως ἔχειν, ἄν τις τῷ διαιρουμένῳ πολλαχῶς ὡς ἀδιαιρέτῳ χρῆται· ἄδηλον γὰρ κατὰ ποίαν φύσιν αὐτῷ συμβαίνῃ τὸ λεχθὲν, verba ſunt *Philoſophi 1. de Cælo. cap. 11.* Καὶ ὥσπερ, ut iterum verba ejus habent de *Elench. Sophiſt. c. 1. §. 5.* κἀκεῖ, οἱ μὴ δεινοὶ τὰς ψήφους φέρειν, ὑπὸ τῶν ἐπιστημόνων παρακρούονται, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἐπὶ τῶν λόγων, οἱ τῶν ὀνομάτων τῆς δυνάμεως ἄπειροι παραλογίζονται, καὶ αὐτοὶ διαλεγόμενοι, καὶ ἄλλων ἀκούοντες. Uſurpatur verò vox arbiter interdùm pro inſpectore, indeque verbum arbitrari pro inſpicere ſive proſpicere & obſervare: interdùm pro teſte, judice & alicujus rei conſcio, quô in ſignificatu remotis arbitris aliquid agi fieriq; dicitur; loca auctorum utrobiq; adducit *Voſſ. & Pareus ll. cit.* interdùm pro eo, qui rei ordinandæ, etiam alienæ, poteſtatem & facultatem habet, quô intellectu apud *Horat. 2. Od. 7.* arbitrum bibendi Venus dicere, i. e. ut *in notis* interpretatur *Acron & Porphyrion*, ἀρχιποσίαν & teſſerarum jactu, cujus ſummum numerus erat tricenarius, in bibendo primatum concedere jubetur; interdùm ſpeciatim pro domino & liberô ſuarum rerum diſpenſatore, tùm inter vivos, uti factum in *l. 21. C. Mandat.* tùm per ultimas voluntates, *l. 1. C. de Sacroſ. Eccleſ.* ubi eleganter dicitur, *nihil eſſe, quòd magis hominibus debeatur, quàm ut ſupremæ voluntatis, poſtquàm jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium*; in quam rem appoſitè *Quinctil. declam. 107. non aliud videtur ſolatium mortis, quàm voluntas ultrà mortem*; &, qui hanc legem imitari voluiſſe credi poſſet, *Ambroſ. 3. Offic. 9.* cùm ait, *in ſupremo fine vitæ poſitos ſuum habere judicium, ut liberè teſtentur, quod ſentiunt, qui poſteà non ſunt*

emen-

emendaturi. conf. *Briſſ. 1. de V. S. Hottom. Comment. Verbor. Jur. Jac. Gothofred. Cod. Theodoſ. Gloſſar. Nomic.* omnes, *hâc voce*, & *Pauermeiſt. 1. de Jurisdict. c. 28. n. 4.* interdùm pro eô, cujus arbitrio & judicio practico, ob defectum expreſſæ diſpoſitionis legalis, multa arbitranda & decidenda committuntur, uti accipitur in toto utiliſſimo opere de *Arbitrar. Judic. Quæſtion. à Menochio*, JCto egregio; vid. *l. 1. q. 1.*

III. Sigillatim verò in Jure noſtro accipitur pro eo, qui ab aliis ad arbitrium ſuum interponendum ſeorſim eſt electus: & quidem vel à Magiſtratu, vel ab ipſis privatis, textus in *l. 5. C. h. t.* A Magiſtratu eliguntur arbitri, vel ad totam cauſſam controverſam deciſione legali ſopiendam, vel ad cognoſcendam & expediendam ſaltim incidentem. Eſt enim omninò nomen arbitri generale, & comprehendit etiam eum, qui reverà eſt Judex, *Feſtus de verb. ſignif. hâc voce*, adpellatur tamen & arbiter, quia poteſtas ejus non adeò, ut olim in ſtricti juris judiciis, ad formulam eſt reſtricta, ſed paullò eſt liberior, ita ut etiam extra eam non parùm poſſit; quo numero cenſentur judices in bonæ fidei & arbitrariis judiciis, diviſoriis imprimis, vid. *l. 38. pr. pro Socio. l. 24. Depoſiti. l. ult. rem pupill. ſalv.* quemadmodùm exinde talia judicia ipſa etiam arbitria vocantur *rubric. C. arbitr. tutel.* vid. *Briſſon. d. l. & 1. de Judic. c. 24. ſub fin. Sigon.* ubi & utriusq; judicii formulas conſignavit. Extra tamen actionis naturam nec hi quicquam poſſunt, nec minus illorum ſententia eſt ſtricti juris. conf. *Emanuel. Gonzalez Tellez ad c. 1.* ✠ *h. t. n. 8. & 9.* Et hi ſunt arbitri ad totam controverſiam decidendam à Magiſtratu conſtituti. Præter hos verò nonnunquàm eligebantur etiam arbitri à Magiſtratu duntaxat ad cauſſæ in-

 ciden-

cidentis expeditionem v. g. probandos fidejuſſores *l. 9. de his, qui ſatisdar.* & computandam bonorum quantitatem, ubi de Falcidiâ agitur. *l. 1. §. 6. ſi cui plus, quàm per Falcid.* Utriq; in ſpecie vulgò, quod contra Treutlerum defendit *Bachov. Vol. 1. Diſp. 12. th. 4. lit. F. pr.* juris arbitri, & quia non ſemper ex mero Magiſtratûs arbitrio, ſed interdùm petitione, editione & conſenſu litigantium impetrabantur, à *Marco Tullio Orat. pro Planco & Muranâ*, uti quidem ex *Serv. in 3. Eclog. Virgil.* interpretatur *Cujacius ad l. 23. de appellat.*, edititii appellantur. De differentiâ hos inter & Compromiſſarios vid. *Molin. d. J. & J. tract. 5. Diſp. 31. num. 1. ſeqq.*

IV. A privatis eliguntur quidam non planè ex libero partium arbitrio, ſed legis ſeu ſtatuti diſpoſitione, adeoq; ex juris quâdam neceſſitate, uti loquuntur, cauſſativâ vel hypotheticâ, vid. *l. 16. l. ult. C. de Judic.* Dd. exindè ſtatutarii appellati, de quibus prolixè *Blanc. tract. de Compromiſſ. fac. inter conjunct. Camill. Borell. tract. de Compromiſſ. Scacc. 2. de judic. c. 2. q. 2. & 4. Ciarlin. 2. Controv. 170.* pluresq; alii, & ad quos etiam Judices Auſtregarũ, uberiùs expoſitos à Juris Lexicographis & Syſtematum Scriptoribus, imprimis tamen *Lentio* & *Schubhardo Commentariis peculiaribus*, vulgò referunt; quidam ex voluntate omnimodò liberâ; & quidem iterum vel ad controverſias obſervato judiciorum ordine cognoſcendas & definiendas *l. 1. l. 13. §. 2. h. t. l. 14. pr. C. de judic.* appellati judices Compromiſſarii in *l. 5. §. 1. C. h. t. l. ult. C. ubi & ap. quem cognitio in integr.* qui Rhodum hâc vice noſtrum conſtituunt; vel ad conciliandos contractus & componendas amicabiliter hinc inde ebullientes controverſias, vid. *l. 25. locati. l. 76. l. ult. C. de Contrah. empt. vendit. l. 13. §. 2. in fin.*

h. t.

h. t. vulgò Dd. dicti arbitratores, amicabiles compoſitores, Græcè *μεσίται, Nov. 90. c. 8. μεσιτεύοντες, δοκιμάσται, Harmenop. Scholiaſt.* Germanicè **Schiedsleute / Schiedsmänner / gütliche Unterhändler / Vergleichsmänner.** Inſectatur equidem hoc arbitratoris vocabulum *Coraſ. 4. Miſcell. 18.* ut novum & commentitium; ſed huic quaſi reſpondet *Parlador. 2. rer. quotidian. c. fin. pr. part. §. 2. num. 3.* cùm inquit: *Arbitatoris nomen, quanquàm apud JCtos non extet, ſed arbitri tantùm atq; arbitratus, non inviti tamen illud recipimus: ſiquidem docendi gratiâ iſtiusmodi nomina interdùm confingere, dummodò à rei ſubſtantiâ non diſcedatur, non eſt improbatum, auctore Horatio atq; item Fabio Quinctiliano.* Rectiſſimè! Ἐπεὶ γὰρ διαφέρει, βέλτιον ὄνομα ἔχει ἴδιον, judicium eſt *Philoſophi 3. Ethic. 2.* πειρατέον ἦ, ſunt ejusdem verba *2. Ethic. 7.* ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, αὐτοὺς ὀνοματοποιεῖν, σαφηνείας ἕνεκεν καὶ τοῦ παρακολουθήτου, vel, ut mavult legere *Giphanius*, εὐπαρακολουθήτου. Aureola etiam, quæ in hanc rem nobiſcum communicavit Excell. Dn. PRÆSES, ſunt verba *Ammonii ex Commentar. ejus in cap. 2.* Porphyrii, ubi ait: Αἱ σημαντικαὶ φωναὶ καὶ τὰ ὀνόματα εἰώθασι χωρίζειν τὰ πράγματα ἀπ' ἀλλήλων. Καὶ γὰρ ἡ φύσις ἐπενόησε τὸ δεῖ τι ἄνθρωπον καλεῖσθαι, ἢ κύνα ἢ ἄλλό τι, ἵνα διὰ τούτων ἀποχωρίσῃ ἕκαστον ἀπ' ἀλλήλων. Καὶ γὰρ ἑκάστη τῶν τεχνῶν ὡς μέλλουσά τι καινότερον καὶ ξενοπρεπὲς παρὰ τὰς ἄλλας τέχνας διδάσκειν, τοῖς οἰκείοις ὀργάνοις ὀνόματα ἐπιτίθησιν, ἵνα ἔχῃ πῶς αὐτὰ σαφηνίσαι. add. ſis *Alberic. Gentil. Diſp. Parerg. de Linguar. mixtur.* non procul ab initio.

V. Noſtri arbitri dicuntur aliàs Latinis etiam recepti *rubr. h. t.* quod ex compromiſſo arbitrium in ſe receperunt; Compromiſſarii, *ll. in præced. th. cit.*, ex facto litigatorum pœnam invicem compromittentium; Judices

 arbi-

arbitrales *Nov. 82. c. 11.* Græcis διαιτηταὶ, αἱρετοὶ δικασαὶ, οἱ κατ' ἐπιτροπὴν διαιτηταὶ, αὐθαίρετοι. vid. *Gloſſ. Labb. voce* Κομπρομισσάριος, *Heſych. & Harpocrat. in Lexicis vocab.* Διαιτηταί. Germanis Schied-Richter / willkührliche Schieds-Richter/ veranlaſſte Richter/ willkührliche Richter/ Spruch-leute/ Obmänner.

VI. Deſcendit à voce Arbitri vocabulum arbitrium, vel, ut in Pandectis Florentinis exſtare dicitur, arbiterium, cujus homonymiam evolvit *Paurmeiſt. l. c. n. 5.* vox arbitratus, quæ in Jure noſtro vix aliter, quàm in caſu auſſerendi, apud auctores alios verò aliâ quoq; ſub inflexione uſurpatur: adjectivum arbitrarius, a, um, unde actiones arbitrariæ, de quibus in *§. 31. J. de act.* pœnæ arbitrariæ, quas exponit *Carpzov. 3. Pract. Crim. q. 133.* conf. *Popm. 1. de different. verb. voce arbitrium.* verbum arbitrari, de quô *Buchn. in Theſaur. Fabri.*

VII. Eſt autem arbiter compromiſſarius nihil aliud, quàm quaſi judex, qui, liberâ partium voluntate ad controverſias ſecundùm ordinem judiciorum cognoſcendas & libero ſuo arbitrio definiendas electus, officium illud in ſe recepit *l. 1. l. 13. §. 1. & §. 2. h. t. l. 14. pr. de Judic. Baſil. d. §. 2. & Harmenop. 1. τιτλ. 4.* Ὁ δικαστοῦ τάξιν ἀναδεξάμενος, καὶ ἐπαγγειλάμενος ψήφῳ τεμεῖν τὸ φιλονικούμενον. De ſingulis definitionis membris in ſubſequenti πραγματείᾳ conſtabit clarius; de aliis definitionibus non erimus ſoliciti.

VIII. Poteſt hoc compromiſſum diſpeſci (1.) in ſpeciale, quod ad unam ſive certas, & generale, quod ad omnes partium controverſias eſt conſtitutum, licet illæ ſibi invicem non ſint affines, nec quid habeant commune,

l. 21. pr. l. 43. h. t. quod tamen futuras controverſias non comprehendit *l. 46. h. t. Baptiſt. à S. Blaſio tr. de differ. inter arbitr. q. 50. n. 13.* rationem videbimus infrà; diſſimile in eô obligationi omnium bonorum, ut quæ & futura complectitur *l. ult. C. qu. res pign. oblig.* vid. *Bachov. & Merlin. de pignor. ille lib. 1. c. 5. n. 5. hic lib. 2. tit. 1. q. 1. n. 2. & ſeqq.* Utrumq; *Bachov. in πς. h. t. c. ult.* iterum eſt duplex, vel abſolutè tale, vel reſpectivè. Abſolutè ſpeciale ipſi eſt, quod de unâ tantùm controverſiâ eſt initum, nihilq; amplius complectitur, niſi quod ipſam cauſſam concernit neceſſariò. Reſpectivè & generale & ſpeciale ipſi eſt, quod de pluribus controverſiis interceſſit, & æſtimatur generale, ſi conferatur cum compromiſſo ſuper ſingulari cauſsâ, ſpeciale verò, ſi comparetur compromiſſo ſuper omnibus controverſiis facto. Poſſet exinde fortasſis non abſurdè diſtinctione Magiſtrali, ad analogiam (α) transactionis, quæ ab objecto Ddbus dividitur in univerſalem, omnes & diverſi quoq; generis lites complexam; generalem, quæ plures quidem, ejusdem tamen generis, reſpicit: & ſpecialem, quæ de lite aliquâ certâ eſt inſtituta, & ad alias extendi non poteſt, etiamſi verba: Nihil ampliùs petam, ſint adjecta *l. 31. C. de tranſact.* (β) judicii, quod etiam vel eſt univerſale, in quo agitur de jure univerſali *l. 18. §. fin. cum ll. ſeqq. de hered. petit.* vel generale, quod certum tantùm genus, non verò univerſitatem rerum comprehendit *l. 38. pro ſocio.* vel ſpeciale, ubi res ſingulæ petuntur *l. 1. pr. de R. V.* (γ) actionum, quæ ex eodem fonte (vid. tamen & *Ulpian. in l. 1. §. item ſciendum. 17. de aqu. & aqu. pluv.*) ſunt vel univerſales, vel generales, vel ſpeciales, cujus diſtinctionis maximus uſus in formandis libellis & exſecutione ſententiarum, vid. *Oldendorp. action. Jur. Civil. loc. commun. partit. 3. per tot.* & *Arnold. ab Harſolte adverſar.*

ſar. action. prolegom. n. 24. ſeqq., compromiſſum diſtingui in univerſale, quod ad omnes omninò controverſias, generale, quod ad multas, non tamen omnes, & ſpeciale, quod ad certas tantum eſt conſtitutum, quantumvis aliàs non ſimus neſcii, quòd nonnunquàm vocabulum univerſale & generale promiſcuè uſurpari, & v. g. quæ alibi ſocietas univerſalis dicitur, in alio loco generalis, quæ hîc hypotheca generalis, in alio textu univerſalis ſalutari ſoleat. (2.) In plenum, quod ita nuncupari ſuevit, quia vel ab utrâq; parte pœna eſt promiſſa *l. 11. §. 2. in fin. l. 13. §. 1. h. t. Wibelio tractat. poſthum. de Contractib. mulier. c. 3. §. 8. n. 238.* verum & perfectum appellatum, vel quia de omnibus controverſiis factum, Græcis dictum πληρέστατον, vel quia doli clauſulam adjectam habet *l. 31. in fin. eod.* vid. *Hoſtienſ. in Summ. hic num. 8.* & non-plenum, quod modo ſe habet diverſo & ex naturâ pleni intellectu eſt admodùm facile. Ἱκανὸν γὰρ, ſunt verba *Philoſophi 2. de animâ. c. 7. in fin.* θάτερον μέρος τῆς ἐναντιώσεως, ἑαυτό τε κρίνειν, καὶ τὸ ἀντικείμενον. Καὶ γὰρ τῷ εὐθεῖ καὶ αὐτὸ καὶ τὸ καμπύλον γινώσκομεν. Ἐάν τε ἡ εὐεξία ᾖ φανερὰ, καὶ ἡ καχεξία φανερὰ γίνεται. Καὶ ἐκ τῶν εὐεκτικῶν ἡ εὐεξία, καὶ ἐκ ταύτης τὰ εὐεκτικά. Εἰ γὰρ ἐστιν ἡ εὐεξία πυκνότης σαρκὸς, ἀναγκη καὶ τὴν καχεξίαν εἶναι μανότητα σαρκός. Καὶ τὸ εὐεκτικὸν, τὸ ποιητικὸν πυκνότητος ἐν σαρκὶ, uti iterum appoſitè in hanc rem loquitur *Philoſophus 5. Ethic. 1. circa fin.* vid. ulterius, ſi placet, eruditiſſimus *Monlor. ad 1. Prior. Schol. num. 4.* (3.) Cum *Alberic. Darreſ. JCto Hiſpan. in Cod. h. t.* à formâ & modo compromittendi in conventum, ſtipulatum, & juratum. vid. & *Bachov. in πρ. h. t. cap. 1. in fin.*

IX. Origo arbitrorum eſt valdè antiqua. Demonſtrant hoc ipſum, ſaltim κατ' ἀναλογίαν, (fortean enim

pauca

pauca illorum accurata compromiſſa exhibebunt) exempla à *Grotio 2. de l. B. & P. c. 23. §. 8. ibidemq́; in notis*, & in *annotat. ad l. 3. c. 20. n. 46.* magnâ copiâ adducta: evincunt ſententiæ arbitrales Tireſiæ & Idæ ap. *Apollod. 3. de Deor. Orig.* confirmat exemplum in *Apoll. Rhod. 3. Argonautic.* Memorabile verò & planè exquiſitum ſpecimen compromisſi noſtra ætas vidit, facti ab Eminentisſimo Electore Moguntino & Sociis, atq; Sereniſſimo Electore Palatino, ſubortâ de quodam Mancipatûs & Servitutis genere, aliisq; nonnullis jurium capitibus, gravisſimâ & luctuosâ controverſiâ, in Potentisſimos Galliæ & Sueciæ Reges, de quô memorabile habemus judicium *Viri Illuſtris, B. Dn. Forſtneri, in Epiſtol. de moderno Imperii Statu pag. 18.*

X. Remota ergò compromiſſorum cauſſa efficiens non tantùm erit Jus Gentium, ſed & ipſum Jus Naturale, utpote cui omninò conveniens eſt, ut non tantùm inter ſummas poteſtates enatæ, & aliàs in certisſimam nocentisſimi & ſupra omnes Tragœdiarum atrocitates horrendi belli flammam erupturæ controverſiæ, ſi aliter non posſunt, per compromiſſum componantur; vid. *Grot. d. c. 23. n. 8.* quem ſequitur *Pufendorf. 5. de Jur. Nat. & Gent. c. 13. §. 3.* ſed & ut privatorum lites potiùs per ejusmodi ex arbitriis partium electos judices, quàm apud ordinarium, alterutri parti interdùm clam juſtò faventiorem, cum uberiori & temporis & ſumptuum diſpendio, conſopirentur. Neq; dubium eſt, quin idem velit Jus divinum; vid. *1. ad Corinth. 6. Grot. d. n. 8.* & ad illum *Dn. Oſiandr. pr.* De Jure Civili & Canonico verò res ex titulis utrobiq; copioſo apparatu poſitis adeò eſt expedita, ut ne quidem vel addubitandi cauſſa ſupereſſe posſit.

XI. Efficiens proxima eſt partium compromittentium & ipſius arbitri electi conſenſus ſeu receptio *l. 11. §. 1. h. t. l. 3. §. 1. eod.* Quantumvis enim *Munoz. de Eſcobar. 8. de ratiocin. num. 7. poſt Gloſſ.* peccare eum contra charitatem arbitretur, qui ſine cauſſâ oblatum arbitri munus repudiando faſtidiret, licet partes diſſidentes ita ex facili poſſet componere; certum tamen eſt, quòd Prætor ad ſuſcipiendum arbitrium neminem cogat, ſed hæc res ſit libera planè & abſoluta, extráq; omnem Jurisdictionis neceſſitatem poſita *d. l. 3. §. 1. Receſſ. Imper. de ann. 1594. §.* Als auch der Compromiſs halben. *64. verb.* Jedoch mit Cammer-Richters und Beyſitzer guten freyen Willen. *Concept. Renov. Ordin. Cameral. p. 1. tit. 29. pr.* Ita in *Reformat. Noricâ p. 1. tit. 9. l. 2. pr.* conſtitutum: Es iſt niemand ſchuldig / ſich / wider ſeinen Willen / mit dem Schied-Richter-Ampt oder Obmannſchafft zu beladen; conf. *Lanfranc. de Orian. tractat. de arbitr. part. 1. num. 15. ſeqq.* aliter atq; in judice, ut qui etiam invitus ad judicandum cogi poſſit, *arg. l. fin. §. judicandi. 14. de mun. & hon. l. pen. §. 2. de vacat. mun.* Recepiſſe autem cenſetur arbitrium non tantùm, qui judicis partes expreſſâ voluntate ſuſcepit, finemq; ſententiâ ſuâ controverſiis impoſiturum diſertis verbis pollicetur *l. Pompon. ait. 13. §. 2. h. t.* ſed etiam ille, qui apud acta (de quâ loquendi ratione vid. *Guther. 1. de O. D. A. c. 24.*) à partibus in arbitrum eligitur, nec præſens contradicit *arg. l. cum oſtendimus. 4. in fin. de fidej. & nominat. l. 6. §. 2. mandati; Speculat. h. t. §. ſequitur. verſic. ſuſcepiſſe autem. Lanfr. d. part. 1. n. 18. Blanc. d. q. 2. n. 35. verſic. tertiò limita. Scacc. d. c. 2. n. 635.* aut inſtrumentum compromiſſi acceptat abſq; proteſtatione, *arg. l. ſi filiusfam. 16. ad SCt. Macedon. Clem. 1. de Procurat. Lanfr. d. n. 18. Baptiſta d. tr. c. 3. n. 3. Menoch. poſt Roman. 3. Præſumpt. 65. n. 3.* aut alioquin compromittentibus jure

con-

conſanguinitatis aut alius tenerioris amicitiæ nexu ſit conjunctus *arg. l. in Sponſalib. ſ. 1. de Sponſal. Lanfr. Baptiſt. Scacc. dd. ll. Peck. ad reg. qui tacet. 43. de R. J. in 6to. num. 5.* Neceſſitatem autem compromittentium conſenſus vel ipſa compromittendi ratio evincit. Sive enim pacto, ſive ſtipulatione ineatur compromiſſum, ſemper opus eſt conſenſu, utpote qui in omni pacto & ſtipulatione exquiſitè eſt neceſſarius *l. 1. ſ. 2. de pact.* conf. *Molin. d. tract. diſp. 32. per tot.* Sed neq; ipſarum partium altera alteram coget, ut compromittat, neq; judex coget, niſi fortè res aliter non poſſet expediri, metusq; majoris mali & præſentisſimum Reipublicæ intertrimentum ſit metuendum, poſt *Avendan. lib. 2. de Metu. c. 22. n. 28. Scacc. d. c. 2. q. 1. per tot. Gonzalez Tellez ad c. 1.* ⁂ *h. t. n. 3.* aut ſtatutorum expreſſa mens hoc ipſum diſertè requirat, qualia ſtatuta pasſim deprehenduntur in Italiâ, quorum vigore lis inter conjunctos exorta non niſi per arbitros eſt ſopienda, uti teſtantur poſt alios *Blancus d. tract. per tot. Scacc. d. c. 2. q. 2. 3. 4. 5.* &, quæ ex ſtatuto Peruſinô, quod uberiùs exponit *Honded. 1. Conſil. 84. n. 33. ſeqq.* ita apud *Guglielm. Dunozet. deciſ. 26. n. ult.* in hunc modum judicavit, Romana Rota; optimo certè & prudentisſimo ſtatuentium conſilio, ne ſcilicet conſanguinei diu litigare aut nimiis expenſis (ut omittam judiciorum formatorum incommoda alia, hâc ratione evitabilia) ſe invicem defatigare poſſent, ſi maximè vellent, quô tamen caſu etſi inviti coguntur arbitros eligere, hunc tamen vel illum præ cæteris ſuâ ſponte poſſunt eligere.

XII. Scriptura ad declarationem hujús conſenſûs an requiratur, disquiri poſſet? Et quamvis hoc noſtro ſeculô in plerisq; paullô graviorum negotiorum actibus receptum

ſit, ſcriptis conſignare acta & placita, quod etiam veteribus perquam uſitatum fuit, & ad diuturniorem rei memoriam tutisſimum, quemadmodum exinde inter alia fortasſis quoq; τεκμήρια κρείττω τῶν μαρτυριῶν *Iſaius Orat. 7.* pronunciavit; Scripturam tamen, præter probationis facilioris emolumentum, hîc nihil habere momenti, nobis videtur incunctabile, *l. 5. C. h. t.* niſi fortè expreſsè ita inter partes conventum, ut ſcriptis compromittatur, quâ ὑποθέσει tunc demùm *arg. pr. J. de empt. vendit. l. 4. de pign. l. 17. C. de fid. inſtrum.* ille compromittentium conſenſus habebit vim obligandi, ſi quoq; illa Scriptura perfecta fuerit. conſ. *Molin. d. diſp. 32. n. 2.*

XIII. Hic compromittentium conſenſus vocatur aliàs unâ voce Compromiſſum, de quâ conſulendi *Baptiſt. d. tract. c. 1. n. 1. Lanfr. d. l. n. 24. Scacc. d. c. 2. n. 4. ſeq. Parlador. d. l. n. 5.* Græcis δοκιμασία, *Ciron. paratitt. Jur. Canon. h. t.* In *Gloſſis Philoxeni* ὁμόλογον, σύμφωνον, ὅ ἐστι, uti exponit *Gloſſ. Labb.* δύο τινῶν ἢ καὶ πλειοτέρων ἀρέσκεια, καὶ εἰς αὐτὸ συγκατάθεσις ἐπὶ τῷ συστῆναι ἤτοι γενέσθαι ἢ διαλυθῆναι τι: in *l.* verò *1. h. t.* deſignat totum compromittendi negotium. Eſt igitur in priori & noſtro ſignificatu compromiſſum nihil aliud, quàm conventio, quâ litigaturi arbitrum eligunt, & ipſi poteſtatem controverſiam, obſervato judiciorum ordine, cognoſcendi, ac liberè de eâ ſententiam dicendi concedunt *l. 17. §. 3. l. 19. pr. h. t.* ſimulq; ſe ejusdem ſententiæ pariturus promittunt *l. 5. pr. C. h. l. 11. §. 4. pr. ff. eod. Bachov. in πρ. h. t. c. 2. n. 4.*

XIV. Fit autem hæc promisſio vel nudo pacto *l. 5. C. h. t.* δίχα δέσεως καὶ ἐπερωτήσεως, ut *Baſilic. Scholiaſtes l. 11. §. 3. lit. K. h. t.* maluit παραφράζειν, quod tamen

Bachov. in πϱ. de pact. tit. de pact. legitimis. n. 8. legitimorum cenſu rectè excludit; vel ſtipulatione, cui nonnunquàm ſecundùm *l. 31. §. ult. h. t.* doli clauſula, profundiùs explicata *Bargal. 3. de dolo. c. 5. & Barſchamp. de clauſulis. c. 9. per aliquot §§.* &, in caſum denegatæ paritionis, pœna ſolet addi *l. 3. §. 2. l. 11. §. 1. & ſeq. l. 30. l. 32. pr. & §. 1. h. t. c. 9. eod.* Non enim hoc ita ſimpliciter eſt neceſſarium, cùm & exitum ſortiri poſſit ſententia arbitri, ſi v. g. res apud eum hâc deponatur lege, ut ei daretur, qui vicerit, vel, ut eam amitteret, qui ſententiæ non paruerit *l. 11. §. 2. h. t.* vel ſi mutui debitores compromittendo ita paciſcantur, ne petat, quod ſibi debetur, qui ſententiæ arbitri non paruit *d. l. 11. §. ſeq. 3.* Illud verò parùm refert, pœna illa conventionalis certa ſit, quod fieri ſolet frequentiùs, an incerta; major, an minor, quàm res, de quâ agitur *d. l. 32. pr. h.* quamvis poſteriùs non fiat cautè, cùm victus conventam pœnam ita facilè poſſit contemnere; duplum excedat, annon: *Pœnam enim cum ſtipulatur quis. non illud inſpicitur, quid interſit, ſed quæ ſit quantitas, quæq; conditio ſtipulationis*, ſunt verba *l. 38. §. 17. in fin. de V. O.* in pecuniâ numeratâ conſiſtat, an in re aliâ *d. l. 11. §. 2. h. t.* purè ſit promiſſa, uti fit plerumq;, an ſub conditione, quæ tùm expectanda *d. l. 11. §. 5. l. 32. §. 3. h. t.* fidejuſſores in illam accepti, annon *l. 25. §. 2. l. 26. l. 35. eod.* Olim & juramentum, ὕϛατον illud, ut verba habent *Procopii 2. Perſic.* ἐν ἀνθρώποις καὶ ἰσχυρώτατον τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεώς τε καὶ ἀληθείας ἐνέχυρον, frequenter hîc accedebat, uti præter alia probat exemplum apud *Plutarchum in Laconicis*, cujus etiam ad *Cod. Paratitl. Cujacii Fabrotus* meminit, & *l. 4. C. h. t.*; ſed id poſteà, ne eveniret ſæpius, fruſtrà, velut *Simplicius ad Epictet. Enchirid. c. 44.* loquitur, μαρτύρα τὸν θεὸν καλεῖν, καὶ μεσίτην αὐτὸν καὶ ἐγγυητὴν ἐφ' οἷς λέγει παρέχεσθαι, cùm omninò non

 omni-

omnibus ea mentis ſit rectitudo & conſtantia, quæ olim Romanis erat, ut qui, teſte *Polybio 6. Hiſtor. c. 54. circa fin.* δι᾽ αὐτῆς τῆς κτ᾽ τὸν ὅρκον πίστεως τηρῶσι τὸ καθῆκον, prohibuit Juſtin. *Nov. 82. c. 11.* & exinde excerpta *authent. decernit. C. h. t.* quod tamen admiſit iterum in *c. 2. & 9.* ✠ *h. t.* Jus Canon. de quo videndi *Panormitanus aliiq; Canoniſtæ ad dd. capp. Bald. Caſtrenſ. cum cæteris Commentator. ad l. 4. & d. auth. C. h. t. & Molin. d. tract. Diſp. 36.* conf. *Gutierrez 3. de Juram. confirmat. c. 14.*

XV. Compromittere poſſunt regulariter omnes, qui de eâdem re poſſunt tranſigere; ita enim conferuntur hi duo actus in *c. per tuas. 9. h. t.* & ab uno ad alterum argumentum deducit *Hoſtienſis in Summa. h. t. §. 6. in fin. Lanfr. d. tractat. ſect. 3. n. 3.* & hos ſecuti multi alii. Poſſunt ergò non tantùm jure dominii & exinde effluentis facultatis alienandi controverſiarum domini, ſed etiam, uti appellantur in *l. 8. in fin. mandat. l. 3. §. 5. de in rem verſo. l. 24. pr. de minor.* & uberiùs ex hâc formulâ explicantur à *Barboſ. de clauſul. 71.* procuratores in rem ſuam; & in rem quoq; alienam, ſi ſpeciale compromittendi mandatum habeant *c. 9.* ✠ *h. t.* & ibi in *volum. 2. repetit. h. t. Panormitan.* aut generale omnium negotiorum *arg. l. 17. §. 3. de jurej. Lanfr. d. ſect. n. 7.* ſive clauſula cum liberâ, quàm variè exponit laudato tract. *Barboſ. clauſ. 35.* ſive mandato non fuerit indita: diſtinctio enim procuratoris in eum, qui eſt conſtitutus cum liberâ, & qui ſine illâ, approbata quoq; Juri Canonico *in c. 4. de procurat. in 6to,* ubi vidend. *Philipp. Franc. n. 1. multisq; ſeqq.* & Ddbus ita explicata, ut ille ampliorem longè, & paciſcendi quoq;, tranſigendi, juramentum deferendi ac alienandi poteſtatem habeat; hic verò hæc omnia exercere nequeat, juri Civili eſt incogni-

ta,

ta, & alter ab alterô non magis differt, quàm ab herede ſimpliciter inſtituto heres ex aſſe, ſiquidem particula illa, *liberè vel cum liberâ*, non diſtinctionis ſed declarationis gratiâ tantùm adjicitur in *§. nihil autem. 43. J. de rer. diviſ. l. 9. §. 4. de A. R. D. l. 58. de procurat.* nec quicquam operatur hîc (liceat ita loqui) extenſivè, ſed intenſivè ſolùm, cum etiam ille, cui omnium bonorum adminiſtratio ſimpliciter & ſine illâ clauſulâ eſt commiſſà, exigente ita adminiſtrationis ratione, jure tranſigere, paciſci, & reliqua omnia ante memorata, atq; alia etiam adhuc, expedire poſſit *l. 12. de pact. d. l. 17. §. fin. de jurej. l. 12. de pign. act. l. 20. §. 1. de novat. l. 87. de Solut.* vid. *Frantzk. ad tit. mandat. n. 63. ſeqq. Vinn. ad d. §. 43. J. de rer. diviſ. & membr. 1. Select. quæſt. 9.* Poſſunt quoq; tutores & curatores, ſi pupilli & minorum utilitas ita ſuaſerit *arg. l. 30. de jurej. l. 46. §. ult. de adminiſtr. & peric. tutor.* atq; cùm de re immobili & eidem morali æſtimatione ſuppari eſt compromisſio, decretum Magiſtratûs ſimul accedat, *arg. l. 4. C. de præd. Min.* vid. *Everhardi Loc. arg. legal. 41. inprimis. §. 8. Simoncell. de decret. lib. 2. tit. 6. inſpect. 8. n. 71. ſeqq.* conf. *Gutierrez. 2. de tutel. & cur. c. 5. & duobus ſeqq.* Item pater de peculio liberorum adventitio, quod ipſe adminiſtrat *arg. l. 1. §. 1. ubi Gl. C. de bon. matern. junct. l. 12. C. de transact. Lanfr. d. ſect. 3. num. 9.* conf. *Bald. in d. l. 12. verſic. venio ad quæſt.* ubi ex *Azone in Summ. Cod. de bonis quæ lib.* affert, poſſe patrem bona adventitia immobilia ob æs alienum liberorum alienare, etiam ſine decreto judicis.

XVI. Num verò etiam Vaſallus, irrequiſito Domini conſenſu, poſſit compromittere, quæſtio eſt admodùm controverſioſa. Negant ἀποτόμως *Iſern. ad c. unic. pr. 2. F. 34. num. 6. Schrader. 10. de Feud. ſect. 1. n. 166. ſeqq.* extendendo

nega-

negationem in *num.170.* etiam ad compromiſſa ſtatutaria; *Clar. §. Feud. q. 39. Peregrin. de fideicommiſſ. art. 40. num. 120. Gonzalez ad c. 5. ✠ h. t. n. 10. Roſenthal. 9. de Feud. concluſ. 22. num. 8.* & plures ibidem allegati. Affirmant è contrario *Duen. reg. 40. limitat. num. 9.* ſibi quodammodò contrarius in *reg. 36. limitat. num. 4. Duaren. in conſuetud. Feudal. c. 12. n. 11. Gudelin. 4. de Jure Feud. c. 2. n. 11. B. Dn. Ludwell. Synopſi Jur. Feudal. c. 15. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Feudal. c. ult. aphor. 8. n. 1. Klock. 1. Conſil. 50. n. 12. ſeqq. B. Dn. Bitſchius ad d. c. unic. pr. 2. F. 34. notab. 2. Bachov. ad Tr. vol. 1. Diſp. 12. th. 6. lit. A. verſic. Vaſalli. Finckelthuſ. 9. Diſp. Feud. th. 14. Vultej. 2. de Feud. cap. 2. num. 3. & Sixtin. 1. de regalib. 8. n. 60.* Affirmare videntur *Alvarottus ibid. n. 3. 4. Præpoſ. eod. ad verſic. ſed inter. n. 1. ſub fin. Crag. 3. Jur. Feudal. diegeſ. 3. B. Dn. Conrad. Rittershuſ. 2. partit. 2. n. 20.* conf. etiam hîc *Curt. Jun. de Feud. part. 4. n. 89. & Hoſtienſ. in Summ. hoc tit. n. 7.* Tantas componere lites non equidem noſtrarum virium arbitramur; affirmantibus tamen hîc ſubſcribere non dubitamus propter *c. unic. 2. F. 15. d. c. unic. 2. F. 34. & 46.* atq; *arg. c. unic. §. ſi Vaſallus. 2. F. 26. & 43.* quos Juris Feudalis textus, per rationes à *B. Dn. Ludw. d. l.* adductas, & quia regulariter lex generalis poſterior *arg. l. 3. C. de ſilent. c. 1. de Conſtit. in 6. c. 1. ✠ de reſcript. l. 15. de pecul. legat.* priorem ſpecialem non tollit, *Gabriel. 6. Comm. concluſ. tit. de LL. concluſ. 1. Carpzov. p. 2. deciſ. 103. num. 11. ſeqq.* licet compromiſſum ſub alienatione vel maximè comprehenderetur, quod tamen non ſimpliciter admittimus, correctos non credimus, modò tamen, quod omninò hîc addendum, omnia etiam peragantur, ut vetus habet formula, declarata *Hering. 17. de fidejuſſor. n. 17. ſeqq.* ἄνευ δόλȣ καὶ ἀπάτης. Excipiunt verò hîc Feuda Imperii Regalia aut Regalem dignitatem annexam habentia *Bald. 3. Conſil. 121.*

n. 10.

n. 10. (qui & in *Conſil. 217. ſeq.* videndus) *Schrader. d. l. n. 169. Reinking. lib. 1. claſſ. 4. c. 19. n. 125. ſeqq.* & *Dn. Myler. ab* Ehrenbach *1. de Principib. & Statib. Imper. c. 20. n. 17.* eòq; referunt textum in *Ord. Cameral. part. 2. tit. 7.* qui locis citatis pluribus videndi. Tandem & adminiſtratores Civitatum ſine auctoritate Conſilii generalis ſuper Civitatis rebus controverſis compromittere poſſe *arg. l. 12. C. de transact.* non ambigimus. confer *Lanfr. d. tract. ſect. 3. num. 10.*

XVII. Non poſſunt verò compromittere (1.) Epiſcopi & Prælati ſine conſenſu Capituli *t. t.* ✠ *. de his, quæ fiunt à Prælat. Bocer. claſſ. 6. D. 37. n. 8. Compilat. præjudic. Cameral. apud Gylmann. 3. Symphorem. voc. Compromiſſ. verſic. nota.* conf. *Barboſ. de appellativ. verbor. Jur. ſignif. appellativ. 14. n. 17. Redoan. de reb. Eccleſ. non alien. quæſt. 2. c. 36.* (2.) Pupilli & minores, ſine aſſenſu Tutorum & Curatorum, quos habent *l. 2. pr. l. 35. h. t.* & *arg. l. 3. C. de in integr. reſtitut. Menoch. A. J. Q. lib. 2. caſ. 171. n. 43. ſeqq. Franciſc. Merlin. Deciſ. Rot. Roman. tom. 1. deciſ. 105. Scacc. d. c. 2. num. 310. ſeqq. uſq; ad num. 345.* in quo, ut & ſequentibus aliquot, declarat etiam, quo modo compromiſſum pupilli procedat cum auctoritate tutoris. Quod ſi tamen nihilo minùs pupillus compromiſerit, eumq; in finem fidejuſſorem dederit, pupillo ab obligationis nexu ſubducto, ipſe fidejuſſor obligatur, ad pœnam etiam *l. 35. h. t. junct. l. ſi pupillus. 127. de V. O. l. fin. pr. verſic. ſi autem. pr. de jurej. l. Stichum. 95. §. naturalis. 4. de ſolut.* Minor verò, Curatorem non habens, poteſt quidem compromittere, cùm hoc caſu poſſit alienare, vid. *l. 3. C. de in integr. reſtit.* modò tamen res, de quibus compromittit, ſint mobiles, & ita comparatæ, ut ſervando ſervari non poſſint *arg. l. 22. in fin. C. de adminiſtr. tut. Scacc. d.*

c. 2. n. 264. ſeqq. quales vulgò æſtimantur oleum, vinum, frumentum & cujuscunq; ſpeciei fructus *l. f. §. f. C. d. t.* non immobiles, uti ſunt res ſoli, ſoloq; vel naturâ vel facto hominis vel juris fictione cohærentes, neq; mobiles, quæ ſervando ſervari poſſunt, cujus generis ſunt aurum & argentum, gemmæ, margaritæ, aliaq; mobilia pretioſa *arg. l. 37. §. 1. de Evict.* vid. *Wibel. de Contractib. mulier. c. 3. §. 7. th. 2. n. 10. ſeqq.* utpote quas res neq; ipſe minor, curatore deſtitutus, ſine ſolennitatibus de jure neceſſariis, quæ adducuntur in *d. l. 22. C. de adminiſtr. tutor. l. 6. l. 12. l. f. C. de præd. minor. l. 5. §. 9. de reb. eor. qui ſub. tutel. Ord. Imp. Polit. de ann. 1577. tit.* Von Pupillen und Mündeꝛjährigen. *32.* & explicantur alibi fuſiùs, vid. *Simoncell. de decret. & Sand. de prohib. rer. alienat. c. 1.* alienare valet, vid. *Scacc. d. c. 2. à num. 265. usq; ad num. 309.* & præter hæc omnia in ipsâ litis diſcusſione poſtmodùm Curator accedat *arg. §. 2. J. de Curator. l. 1. & t. t. C. de in lit. dand. tut. l. 1. C. qui pet. tutor.* conſul. *Montan. de Jur. tutel. c. 30. & Gutierrez 2. de tutel. & cur. c. 4.* (3.) Fœminæ alieno nomine *l. 32. §. 2. h. t.* cùm nec ſic defendendo litigare posſint *l. 2. §. 2. ad SCt. Vellej.* poſſunt tamen ſuo, ſed hodiè hoc caſu opus habent ſui curatoris conſenſu. *Wibel. d. tractat. §. 8. n. 239.* (4.) Prodigi in ſenſu Juris *arg. l. 1. de Curat. furioſ. & l. 6. de V. O.* (5.) Servi *l. 37. §. 8. h. t.* quia compromiſſum eſt inſtar judicii, cujus ſervus non eſt capax. (6.) Deportatus; (7.) Excommunicatus. *Gilhauſ. arb. judic. civil. c. 1. part. 3. §. 2. n. 8.* Et (8.) in univerſum omnes, qui vim compromisſi non intelligunt. vid. *l. 49. pr. h. t.* conf. *Cardinal. Tuſch. practic. concluſ. 501.*

XVIII. Versâ autem vice arbitri etiam eligi auditoriumq;, ut loquitur JCtus in *l. 41. h. t.* recipere poſſunt omnes, qui non impediuntur, nec prohibentur *arg. l. 43.*

§. 1.

§. 1. de procurat. l. 1. §. 1. de teſtib. l. 12. pr. de judic. l. 28. §. 2. ex quib. cauſſ. major. etiam infames *l. 7. pr. h. t.* quia officium arbitri non eſt publicum, ut judicis, & ſibi habebit imputandum, qui talem elegit; *Freher. 3. de fam. c. 28. n. 12. Blanc. d. tract. q. 2. n. 13. Baptiſt. d. tractat. 4. c. 10. n. 1.* Clerici *arg. l. 32. §. 4. h. t.* ii inprimis, qui ſunt conditionis eminentioris, quales Præpōſiti, Abbates, Epiſcopi, *arg. l. ſi qui ex conſenſu. 8. l. ſeq. C. de Epiſc. aud. c. cùm de tempore. 5. X. h. t. c. præſentata. 5. X. de teſtib. & atteſtat.* hos enim etiam ſub generali Clericorum appellatione interdùm contineri, certum eſt, & probat cum allegatis *Barboſa de appellativ. verbor. jur. ſignif. appellat. 51. Læl. Mancin. JCtus Patavinus, Genial. Disquiſit. centur. 2. c. 184.* & JCtus ac Polyhiſtor ſupra famam magnus, *Carol. Annibal. Fabrot. ad tit. X. de vitâ & honeſtate Cleric. non procul. ab initio.* de re ipsâ vid. *Baptiſt. d. tract. c. 4. ac Gilhauſ. d. part. 3. §. 4. n. 3.* & filiusfamilias *l. 5. h. t.* cùm libera ſit perſona, etſi non ſui juris, ut quod in publicis ſicut non obeſt, ita nec in recipiendo arbitrio; idq; indiſtinctim, & licet cauſſa ſit ipſius patris *l. 6. h. t.* ac vice versâ, cùm arbitrium ſit quaſi judicium *l. 1. h. t.* ubi, velut jam monitum, jus poteſtatis non attenditur *l. 77. cum ſeqq. de judic.* & totum hoc negotium à liberâ partium electione ſit dependens. *Duar. h. t. non multùm à princip.*

XIX. Impediuntur tamen nonnulli, nonnulli prohibentur. Impediuntur furioſi *l. 9. §. 1. h. t.* niſi dilucida habeant intervalla, cùm ſic etiam poſſint eſſe judices *l. cùm furioſus. 39. de judic.* & qui cum iis jure utplurimùm æquali utuntur, *l. 2. C. de curat. furioſ. l. 9. C. de impub. & al. ſubſtit.* quanquàm interdùm etiam ab iisdem diſtinguantur, vid. *l. 8. de tutor. dat. l. 25. C. de nupt.* mente capti tranquillâq; mentis alienatione laborantes; pupilli, ſive illi conſide-

rentur propriè ſecundum *l. 239. pr. de V. S.* ſive impropriè, ut fit in *l. fin. §. 2. de V. O. l. 4. C. de neceſſ. ſerv. hered. inſtit.* muti, ſurdi *d. l. 9. §. 1. h. t.*

XX. Lege prohibentur (α) ſervi *l. 7. pr. & §. 1. h. t.* indignum enim viſum Romanis, liberis hominibus à ſervo imperari, ſervumq; jubere liberum aut vetare facere quicquam, aut non facere; *Cujac. ad l. 8. h. t. Duaren. eod.* idq; adeò, ut ſi nihilo minùs in ſervum & liberum conjunctim compromiſſum factum, illud ſit nullum, nec liber ſolus ſententiam poſſit dicere *d. l. 7.* quod tamen ſecus, ſi disjunctim, & ut ſaltim alterutrius ſententia valeat *l. 8. h. t.* (β) Fœminæ, *l. f. C. h. t.* ſive illæ adhûc ſint ſignatæ, (uti quidem hanc vocem interpretatur *Pareus in Lexico Critico, & Salmaſius in Obſervat. ad Jus Atticum*, atq; iteratò *in tractatu de ſubſcribendis & ſubſign. teſtam.*) ſive maritæ, ſive viduæ; harum enim ut in aliis multis juris noſtri articulis, quos dinumerare inſtituerunt *Bellem. ad c. dilecti filii. 4. X. h. t. num. 20. Oldendorp. ad l. 9. de ſtat. hom.* & poſt *Frid. Pruckmann. Dalner. 6. de jure hom. part. 2.* deterior longè, quàm maſculorum, eſt conditio; ita in eo quoq; vel maximè talis judicatur, quòd ab omnibus civilibus & publicis negotiis, quibus inter quoq; eſt officium judicandi, &, quod huic adſimilatur, arbitrium compromiſſoriale, ipſo jure ſint remotæ *l. 2. de R. J. can. 1. c. 3. q. 7. can. mulierem. 16. c. 33. q. 5. Borell. h. t. §. 2. gl. 4. n. 12. Cujacius* equidem, Doctor ille Doctorum, (*P. Fab. 6. ſemeſtr. c. 24.*) *13. O. 23.* arbitratur, antè *d. Conſtit. Juſtin.* mulierem integræ opinionis, ſaltim inter libertos, ex compromiſſo arbitrium recipere potuiſſe, quomodò apud *Homer. Odyſſ.* H. Regis Alcinoi uxor, Arete

Οἷσιν τ' εὖ φρονέῃσι, καὶ ἀνδράσι νείκεα λῦσαι,

καὶ

καὶ ἀμφότεροι apud *Apoll. Rhod. loc. in th. 9. adductô*, ἐπιτρέψαι τῇ κόρῃ τὴν δίκην, ὁμολογήσαντες ἐμμένειν ἧς δικάσῃ, *Scholiaſtæ ibidem* dicuntur; quod tamen ſecus videtur *B. Dn. Ungepauer. X. h. t. n. 8. & Wiſſenbach. ad d. l. ult. C. eod.* Illud verò inter omnes conſtat, hodiè communiter hîc excipi fœminam, jurisdictione patrimoniali gaudentem, per *cap. 4. X. h. t.* & quòd denegari non posſit minus, cui majus eſt conceſſum; vid. *Gonzalez ad d c. 4. n. 6. 7. Alteſerra eod. Cujac. 13. O. 23. Blanc. d. q. 2. n. 24. ſeqq. Baptiſta l. 4. c. 12. Molina d. tract. D. 39. n. 4.* conf. *Casſiod. 4. variar. 37.* quod tamen nonnulli ad arbitramentum reſtingunt, vid. *Panormitan. ad d. c. 4. n. 2.* (γ) Minores 20. annis *l. 41. h. t.* ſi verò major 20. ſed adhûc minor 25. ex compromiſſo ſententiam tulerit, partes eâdem tenentur, ne quicquam obſtante, quæ aliàs obtendi poſſet, ætatis immaturitate; *arg. l. 41. h. t. & l. 57. de re judic.* ubi & in ordinario judice 18. anni ſufficiunt. conf. *c. 41. de offic. deleg. Hoſtienſ. in Summ. h. t. num. 3. Zoëſ. ϖ. h. t. num. 13.* (δ) Judices de re, de quâ ſunt judices *l. 9. §. 2. h. t.* quia in eorum poteſtate non eſt, ut munus judicandi ſibi injunctum, quippe publicum, ex compromiſſo partium, vel defugiant, vel permutent. Quin autem aliàs etiam de Jure Civili Magiſtratus arbitrium posſit recipere, non ſinit dubitare *l. 3. in fin. & l. ſeq. h. t.* vid. *Duaren. h. t. pr. Bachov. ad Treutl. l. cit. th. 6. lit. F. B. Dn. Tabor ad Colleg. Mejeri h. t. §. 6. Zoëſ. eod. ϖ. num. 15. Wiſſenbach. ϖ. hîc th. 14. Dn. Ziegl. ad Lancelot. h. t. §. 1.* conf. *c. 5. 7. 10. X. h. t. c. 31. X. de præbend.* & utrobiq; *Canoniſt. Compilat. Deciſ. Cameral. voce Compromiſſ. verſic. nota quandoq; &c. Gilhauſ. d. part. 3. §. 4. num. 8. Molin. d. tract. D. 39. num. 7.* & *Blanc. d. q. 2. n. 41.* Illud in expedito, quòd judex, ſi ſpes aut facultas videatur eſſe componendi negotii, officio judicis pauliſper dilato, communis amici

& quaſi pacificatoris partes ſuſcipere poſſit, & debeat, aut ſuadere litigantibus, ut de negotio inter ſe tranſigant, quæ ipſa tamen ſuaſio judicati auctoritatem non habet *l. 7. C. de ſent. & interloc.* cùm hoc ipſum ſuaſor non agat, ut judex vel arbiter Compromiſſarius, ſed ut communis amicus, interpres, ſequeſter pacis, & arbiter honorarius. vid. *Gell. 14. N. A. 2. l. 21. in fin. de R. C. c. ult.* X *. de transact. c. 1.* X *. de mutuis petit.* R. A. *de ann. 1654. §.* Zweytens ſolle, *110. Lancilott. de offic. Prætor. in cauſſ. civil. §. 1. num. 10. Parth. Litig. 2. c. 4. n. 8. ſeqq. Carpzov. p. 1. c. 1. d. 10. & 11. & in Jurispr. Conſiſt. 3. d. 4. Gail. 2. de Pac. publ. c. 18. n. 6. ſeqq. Matth. Stephan. 5. de offic. judic. c. 11.* & *Dn. Ziegl. Dicaſtic. concluſ. 22.* Alia ratio compromittendi in judicio declaratur apud *Carpzov. d. cap. 1. def. 15. Mæv. p. 1. deciſ. 98.* hîc cum curâ videndos; (ε) Laici in cauſsâ ſpirituali *c. 8.* X *. h. t. c. 2.* X *. de judic. ibiq. Felin. & Decian.* ille quidem *num. 8.* hic *num. 195.* conf. *Fontanell. Deciſ. Cathalon. 323. ſeq.* niſi fortasſis (quem caſum ſingularem appellat *Panormitan. in ſuprà alleg. repetit. num. 7.*) Laico compromiſſario Clericus adſociaretur & ſuperiorum conſenſus accederet *c. tuas. 9. h. t.* vid. *Baptiſt. d. tract. lib. 4. c. 15. Gratian. diſcept. forenſ. 379. num. 1. ſeqq. Farinac. 1. de inquiſit. q. 8. n. 24. Græv. practic. concluſ. 37. conſid. 2. Gonzalez ad d. c. 8. h. t. Fermoſin. ad d. c. 3.* X *. de judic. q. 4.* ſed & *Dn. Ziegler. ad Lancelott. h. t. n. 4.* (ζ) Monachi & religioſi regulares *arg. Clem. exivi. de V. S.* ad hos enim quies, oratio, & manuum labor, non autem cauſſarum ſpectat cognitio, ut *Lancelott. in Inſtit. h. t. §. 3.* loquitur. vid. & *l. 41. C. de Epiſcop. & Cleric.* niſi forte hi Superiorum ad id habeant licentiam *arg. c. ult. de Teſtam. in 6to.* (η) Excommunicati. vid. *Azpilcuet. Enchirid. c. 27. num. 17. ſeqq.* (θ) Deportati, & ſimilia hominum nomina alia. vid. *Gilhauſ. d. §. 4. num. 5. 6, 7.* & *Scacc. d. c. 2. n. 567. ſeqq.*

XXI. Ra-

XXI. Ratione verò numeri hîc nihil intereſt, unus, an duo pluresq; ſint electi arbitri *l. 8. l. 17. §. 4. h. t. c. 1.* ✠. *& c. ult. in 6to eod.* Ob naturalem tamen hominum ad diſſentiendum facilitatem utile eſt, ſi v. g. duobus in arbitros electis ſtatim ab initio vel ipſæ partes tertium adjungant, vel arbitris in caſum exorti diſſensûs adſumendi licentiam expreſsè concedant; vid. R. A. *de ann. 1555. §.* Und ob ſolcher. *22.* Neutrum verò ſi fuerit factum, Prætor cogit arbitros diſſentientes tertium eligere, cujus auctoritati pareatur *l. 17. §. pen. h. t.* qui tertius, der Drittmann/ Dritter/ Obmann in ſpecie ita dictus, an præcisè obligetur conſentire diſcordantium alteri, an poſſit etiam ſententiam ab utroq; pronunciare diverſam, disquirunt *Gabriel. 2. commun. concluſ. h. t. concluſ. 1. Caſ. Urſill. ad Afflict. deciſ. 148. n. 2.* & *Franciſc. Nig. Cyriacus. 1. Controv. forenſ. 159. n. 2. 3.* ibidem videndi. Illud autem omninò neceſſarium, ut omnes, ſi copulativè (ſecus enim, ſi alternativè *l. 8. l. 17. §. 4. h. t.*) conſtituantur, ſint etiam (1.) ad arbitrandum habiles; unius enim incapacitas totum corrumpit compromiſſum *l. 7. §. ult. h. t.* (2.) ad unum præſentes, adeò, ut etiam unius abſentia arbitrium reddat nullum. *d. l. 17. §. 2. & ult. l. 18. h. t. cap. pen.* ✠ *. de ſent. & re judic. in 6to.* vid. *Forner. 1. ſelect. 7. Joh. Baptiſt. Ciarlin. 1. Controverſ. forenſ. judic. c. 27. num. 1. 2. Trentacinq. 2. var. reſol. h. t. reſol. 1. per tot. Carpz. p. 1. c. 1. d. 14.* cùm omnes debeant judicare, quod uno abſente factum non poteſt dici, & ille abſens, ſi præſens fuiſſet, cæteros fortasſis in ſuam ſententiam potuiſſet pertrahere *d. §. ult.*; nec abſentis ſubſecuta ratihabitio hîc quicquam operetur, *arg. l. 29. de R. J. c. auditis. 29.* ✠ *. de elect.* quia lex ipſa præſentiam in ipſo actu requirit; *Speculat. h. t. §. ult. verſic. ſed pone. 55.* nec ſufficiat, ſi abſens ille vices ſuas Collegarum alteri commiſerit, quòd hîc certæ perſonæ induſtria electa; aut poſt cauſſæ cognitionem

tionem ante ſuum diſceſſum Collegis mentem ſuam declaraverit, cùm forma compromiſſi omnium præſentiam expreſsè poſtulet; vid. *Felin. in c. 16. num. 8. in fin. ſeq. X. de offic. delegati. Jaſ. ad l. 36. num. 6. de re judic. Panormitan. 2. Conſil. 77. verſic. ad primum dico.* Nequicquam officiente regulâ, quâ fieri poſſe abſente dicitur, quod poteſt fieri eo contradicente *l. ergò. 4. §. illud videamus. 3. de fideicom. libertat. l. qui poteſt. 26. de R. J.* cùm illa fallat, ubi votum & ſuffragium alterius ex neceſſitate requiritur, *Jaſ. d. l. num. 2. Duar. h. t. cap. de offic. arbitr. pr.* niſi forte ea conditio in compromiſſo expreſsè ſit adſcripta, ut cæteris abſentibus vel unus dicat ſententiam *l. 32. §. 13. h. t.* Jure Canonico ſi unus abſit malitioſè, reliqui cauſſam tutò definient *c. 2. h. t. in 6to. ibiq. Franc.* cui add. *Boich. rubric. h. t. per tot.* &, qui eundem ſequitur, *Bellem. ad c. 1. X. h. t. n. ult. Nicolaus* van der Hooch/ *Albuinus, Jur. ſingul. 54.* & in hâc materiâ ſæpiùs allegati Scriptores proprii. Unius tamen præſentis diſſenſio aut ſibi non liquere jurantis aſſertio non impedit, quò minùs valeat id, quod placuit parti majori; conformiter Romanorum veteri legi, cujus verba refert *Cælius ad Ciceron. Epiſt. ad familiar. lib. 8. Epiſt. 8.* hunc in modum: *Quod eorum judicum major pars judicârit, id jus ratum eſto;* v. g. ſi duo decem & tertius quinq; arbitretur, valebit arbitrium in decem *c. 1. h. t. in 6.* Sin autem omnes ſententias dixerint planè diverſas, vel quædam deprehendatur ἰσοψηφία, nullius laudum ſubſiſtet *l. 27. §. 3. h. t.* quod & in delegatis & pedaneis judicibus obtinet *l. 28. de re judic. & c. ult. X. eod.* licet in judiciis publicis hoc in caſu reus abſolvatur *l. inter. 38. pr. de re judic.* quia hîc ſemper in dubiis, ut *Seneca* alicubi ait, humanitas inclinat in leniorem. *Ariſtophan. Grammatic.* ὅταν ἴσαι γένωνται ψῆφοι, ἀπολύεται ὁ κατηγορούμενος, quem adducit *Cujac. 12. O. 16.* omninò ibi curatè videndus cum *Alcia-*

elato 9. Parerg. c. 14. & inprimis *celeberrimi nominis ampliſſimæq́ dignationis VIR Jo. Henr. Boeclerus, Præceptor ac Hoſpes quondam meus etiam poſt manes piè venerandus, Diſſertat. Academ. de Calculo Minervæ per tot.* Quòd ſi verò diſſenſus offendatur tantùm in quantitate, tunc omnes in minorem ſummam conſenſiſſe æſtimantur *l. 27. §. 3. h.t. c. 1. de arbitr. in 6to.* & *arg. l. 1. §. 4. de V. O.* ut quæ illi majori etiam naturaliter & phyſicè ſemper ineſt, quantumvis non ſemper etiam inſit intentionaliter & civiliter, ut appoſitè diſtinguit *Molinæus ad Conſuetud. Pariſienſ. tit. 1. §. 47. gl. 3. n. 12.* conf. *Covarruv. 1. var. reſol. 2. num. 6. Gonzalez ad c. 1. ☿. h.t. num. 21.* & *Ill. Grotius cum Commentatoribus de J.B. & P. l. 2. c. 5. §. 18. & 19.*

XXII. Objectum ſunt omnes cauſſæ controverſæ, quæ non inveniuntur exceptæ. Eximuntur autem (1.) cauſſæ judiciorum publicorum *l. 32. §. 6. h. t.* harum enim deciſio privatis non poteſt committi, cùm ipſis deſit imperium & in facinoroſos animadvertendi facultas; neq́; debet etiam, quia ſic delicta ex facili vel planè impunita relinqui poſſent, vel ſaltim non puniri ſatis, quorum utrumq́; peſſumdaret Rempublicam; vid. *Lanfr. d. tr. p. 4. n. 1. ſeqq. Blanc. q. 4. n. 26. Stacc. d. c. 2. q. 4. n. 66.* (2.) Alia delicta famoſa *d. §. 6.* qualia ſunt furtum, injuria, vis bonorum raptorum &c. non obloquente *l. 13. §. 5. de his qu. not. infam.* ut quam rectè *Baſilic. Scholiaſt. Cujac. ad d. §. 6.* ubi & in hanc rem Solonis Legem ex *Orat. Demoſthen.* περὶ κονδύλου adducit, *Duar. h. t.* & hos ſecutus *Wiſſenb. π. h. t. n. 15.* ad cauſſas famoſas contractuum referunt; (3.) Actiones populares *d. l. 32. §. 7. h. t.* utpote quâ jus populi, non privatorum, defenditur, *l. 1. de pop. act.* (4.) Cauſſæ ſtatus, libertinitatis, ingenuitatis, filiationis, paternitatis *d. l. 32. §. 7.* quippe

judicabat poteſtate privatâ, ſed publicâ; neq; quaſi, ſed verè judicialiter; ita quoq; formulæ ſibi à Prætore præſcriptæ ita erat adſtrictus, ut ne latum quidem unguem ab eâdem recedere, tantum abeſt, ut controverſiam libero arbitrio determinare potuerit. Inſinuat hanc differentiam *pro Q. Roſc. Comœd. Tullius*, cùm ait: *Hic tu ſi amplius* HS. *nummo petiſti, quàm tibi debitum eſt, cauſſam perdidiſti, propterea, quòd aliud eſt judicium, aliud arbitrium. Judicium eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ: ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus; ad arbitrum hoc animo adimus, ut neq; nihil, neq; tantum, quantum poſtulamus, conſequamur. Ejus rei ipſa verba formulæ teſtimonio ſunt. Quid eſt in judicio? directum, aſperum, ſimplex.* SI PARET, LIS. IↃↃↃ. DARI CP. *Hic niſi planum facit;* LLS. IↃↃↃ. *ad libellam ſibi deberi, cauſſam perdit. Quid eſt in arbitrio? mite, moderatum, quantum æquius & melius ſit dari.* Reſpicit eò *Seneca 3. de benefic. c. 7. melior,* inquiens, *videtur conditio cauſſæ bonæ, ſi ad judicem, quàm ad arbitrum mittatur, quia illum formula includit, & certos, quos non excedat, terminos proponit; hujus libera & nullis adſtricta vinculis religio & detrahere aliquid poteſt, & adjicere, & ſententiam ſuam, non prout lex aut Juſtitia ſuadet, ſed prout humanitas & miſericordia impulit, regere;* quantumvis hæc omnia etiam cum *B. Dn. Frantzk. h. t. n. 3. Bachov. ad Treutl. d. D. 12. th. 4. lit. A. verſic. in judicio. Vinn. in §. 2. J. de act. n. 9.* de bonæ fidei & arbitrariis judiciis, & cum *Dn. Zieglero ad Grot. l. 3. c. 20. §. 47.* de arbitratoribus quoq; explicari poſſe, eô ipſo non diffiteamur. Plures alias judicis & arbitri differentias videbis collectas apud *Durand. h. t. §. 4. per tot. Hoſtienſ. in Summ. hic num. 10. Donell. Commentar. c. ult. & ibi Hillig. lit. A. Gonzalez ad c. 1. ✠. h. t. n. 10. Conr. Rittershuſ. in Expoſ. Novell. Methodic. Part. IX. à num. 17. usq; ad num. 25. Celeb. Bæclerum*

in

in Chreſtomathiâ Terent. voc. Arbiter. multosq; alios. (2.) Ab arbitratore, ut qui vel planè non occupatur circa componendas controverſias, quod tamen ubiq; facit arbiter, vel occupatur quidem, ſed non procedendo quaſi judicialiter & ſervato juris ordine, verùm perſuadendo ſaltim, allatis in medium penetrantibus rationibus, oſtendendoq; partibus viam, quâ ipſæ ſubortas controverſias poſſent dirimere, quo modo etiam arbitratoris officium definiunt *Salicet. ad l. 5. C. h. t. n. 9. Bartol. in tractat. de arbitris. n. 2. Gail. 1. O. 150. n. 3.* & Dd. fermè communiter. Sunt equidem, qui ab omni lite arbitratores ſecludunt, & ad actus extrajudiciales tantùm atq; contractus rejiciunt, uti facere videntur poſt *Jacob. de Arena Speculat. h. t. §. 1. n. 3. Coraſ. 4. Miſcell. 18. & ad l. 76. §. arbitrorum. pro Socio. num. 5.* quos ſequuntur *Bachov. ad πç. c. 1. n. 2.* & ad *Weſenbec. lit. A.* ibiq; *B. Dn. Ludwell. n. 9. Vinn. 1. ſelect. Jur. quæſt. c. 16. JureConſultorum Papinianus B. Dn. Tabor ad Colleg. Mejeri h. t. th. 78.* & *Gonzalez ad c. 1. ✗ . h. t. n. 14. B. Dn. Brunnemanno verò Comment. ad l. 1. C. h. t. ſub fin.* ſecuto *Molin. d. tract. D. 30. n. 6. ſeqq.* arbitèr ex uſu juris ille eſt, qui ita adſumitur, (ceu verba ejus habent,) *ut punctum aliquod, ſive actu in lite verſetur, ſive in tractatu, decidat, ſive ſervato juris ordine, ſive non; arbitrator autem is eſt, in cujus voluntatem, ſive æquam, ſive iniquam quaſi in ludo aleæ compromittitur.* Sed quicquid tandem horum ſit, communis tamen ſententia Dd. in ipſo quoq; rerum actu, uti *Græv. concluſ. practic. 150. pr.* & ſingulatim de Hiſpaniâ *cit. loc. Gonzalez*, teſtantur, paſſim recepta, quæ noſtra etiam fuit, rejicienda temerè non eſt. vid. *Dn.* Lauterbach / *JCt. edecumatum, concluſ. forenſ. Exercit. 13. concluſ. 15.* Alias differentias collegit ὁ πάνυ *Cujac. ad l. 22. §. 1. de R. J. & l. 43. de V. O. Bellem. ad c. non ſine. ✗ . h. t. num. 8. ſeqq. Marta Digeſt. noviſſ. tom. 1. h. t. c. 5.* & præcipuè *Baptiſt. de S. Blaſ.*

tractatu integro de different. inter arbitr. & arbitrat. (3.) A Mediatoribus, quos vocant, qui etiam ſuo officio ſine omni judicii figurâ defunguntur, & arbitratoribus potiùs habendi pares, quàm compromiſſariis. (4.) Ab arbitris ſtatutariis, utpote non privatâ partium, ſed publicâ, à Statuto ſibi conceſsâ, auctoritate controverſias inter conjunctos decidentibus; (5.) Ab arbitris electitiis, ob eandem rationem, ob quam etiam ſtatutariis perquàm ſunt adſimiles.

XXV. Compromiſſi forma propria, accidentalis tamen, dependet ab ipſo compromiſſo *l. non diſtinguemus. 32. §. de officio. 15. & §. item ſi. 17. l. quid tamen. 21. §. plenum. 6. h. t.* & formulâ ab ipſis compromittentibus arbitro præſcripta *c. 1. & 5.* ✠ *. h. t.* cujus aliquot ſpecies adducit *Ludov. Roman. rubric.* ϖ. *h. t. Molin. d. tract. D. 33.* & inprimis exemplum memorabile *B. Dn. Brunnem.* ϖ. *h. t. ſub fin.* Hanc formam arbiter diligenter & ſtrictè cuſtodire eſt obligatus, usq; adeò, ut etiam extra illam nihil poſſit facere, *d. l. 32. §. ult. h. t. c. 6.* ✠ *. eod.* vid. *Gremp. Cod. h. t. quæſt. quod eſt offici Fr. Nig. Cyriac. 2. controv. forenſ. 350. per tot. Mev. p. 1. deciſ. 98. per tot.* & quod contrà factum, ne quidem à partibus ipſis homologari & approbari poſſe nonnulli arbitrentur, à quibus tamen recedunt & hujusmodi confirmationi ac ratihabitioni vim pacti concedunt *Afflict. Deciſ. Neapolit. 117. num. 6.* ibid; *Urſill. & Surd. Deciſ. 53. num. 22.* Non ergò hîc locum habet reconventio *c. 6.* ✠ *. h. t. Sichard. ad l. 14. C. de ſent. & interloc. Duaren. h. t. Petr. Barboſ. ad l. 7. de judic. num. 60. ſeqq. Trentacinq. 2. var. reſol. tit. de mut. petit. reſol. 1. num. 49. Perez ad d. t. C. de ſent. & interloc. Gonzalez ad d. c. 6. n. 2. ſeqq.* prolixè *Marian. Socin. ad c. 1.* ✠ *. de mut. petit. art. 4. num. 26.* niſi fortè in ipſo compromiſſo ita fuerit cautum; *Menoch. de A. J. Q. q. 44. n. 12.* quemadmodùm

120.

dùm etiam in arbitriis ſtatutariis reconventionem admittunt *Blanc. q. 4. num. 23. Marian. Socin. d. num: 26. ſub fin.* & *Scacc. d. c. 2. n. 10.* De neceſſariis tamen & acceſſoriis pronunciare arbiter non impeditur *arg. cap. prudentiam. 21. verſic. ſexta nobis. in fin. de offic. & poteſt. deleg.* cùm connexorum idem ſit judicium, *Caballin. part. 2. Milleloq. 890. n. 2.* Hinc rectè præfiget diem ſolutioni *l. 21. §. 2. h. t.* judicabit de fructibus, uſuris & expenſis *arg. l. ad rem mobilem. 56. & l. ad legatum. 62. de procurator. Bartol. tract. de arbitr. num. 8.* etiamſi illæ non ſint petitæ, modò veniant judicis officio; ſi enim per ſe debeantur & jure obligationis, ad officium arbitri non pertinebunt, cùm ſuper illis non ſit compromiſſum; vid. *Blanc. d. tract. q. 9. n. 80.* & *Baptiſt. d. tract. lib. 9. c. 16.* Quærunt Dd. quod ſi arbiter ſuper damno dato ſit adſumptus, num poſſit ex *l. contrà. 4. C. ad L. Aquil.* reum negantem condemnare in duplum, ſi fortè per adverſarium is fuerit convictus mendacii? Affirmativa verior. Eadem namq; ratio in condemnatione ad duplum, naturæ actionis cohærente, quæ in expenſis, fructibus & ſimilibus acceſſoriis, quæ lite pendente obveniunt. In reliquis verò omnibus, quæ partium conventione non ſunt mutata, ipſe ſequetur communem & ſolitum judiciorum ordinem *arg. l. 1. h. t. l. 14. pr. C. de judic.* ad modum, qui ſub exemplo exhibetur apud *Meichſner. tom. 1. deciſ. Cameral. 11.* conf. ſis *Briſſon. 5. de formul. pag. 463. ſeq.* & *Roman. ad l. 1. h. t.*

XXVI. Admittuntur exinde (*a*) coram arbitris Procuratores & Advocati *l. 31. l. 32. §. 18. h. t.* (*b*) per nuncium vel epiſtolam (πιττάκιον habent *Baſilica*, quâ voce etiam *Polybius* utitur, ſed in aliâ ſignificatione, & quatenus πιττακίοις æquipollent *Comneno* dicta ἀδέλφατα, aliis appellata σιγγέσια, *Ciron. 2. Obſervat. Jur. Canon. c. 13.*) ipſi principales,

Baſi-

Baſilicis πρωτότυποι καὶ ἀρχέτυποι nominati, vel etiam eorundem procuratores adeſſe jubentur *l. 49. §. 1. & d. l. 32. §. 18. h. t.* (*c*) abſentium contumacia, etiam multâ, punitur *l. 39. pr. h. t.* quam unam ex difficilioribus hujus tituli legibus reputat *Cujac. ad §. ſemel. 1. l. 34. eod.* nihil obſtante *l. 27. §. 4. eod. l. 2. §. fin. de judic. & l. 131. §. 1. de V. S.* quantumvis hæc pœna multatitia menſuram veræ multæ per omnia non adimpleat, quippe non Fiſco, ſed applicanda adverſario. vid. *Bachov. ad Treutl. vol. 1. D. 12. th. 5. lit. B. verſic. illud certum. Scip. Gentil. 1. de Juriſdict. c. 7. Wiſſenbach. ex. h. t. n. 22.* (*d*) exiguntur cautiones (*e*) opponuntur exceptiones *Carpzov. 1. c. 3. d. 19. & 20.* (*f*) offertur libellus, & quidem hodiè ſecundum *R. I. de ann. 1654. §.* Dieſem nechſt. *34.* ſimplex tantùm, licet olim juxta *Ordinat. Cameral. part. 3. tit. 12. §.* Zum andern. *8.* actoris arbitrio fuerit commiſſum, vel ſimplicem & ſummarium exhibere, vel articulatum; conf. *R. I. de ann. 1570. §.* Wiewohl auch. *88. Magenhorſt. ad tit. 13. dict. part. 3. Ordin. Cameral. & Blum. ad part. 3. Concept. renovat. Ordinat. tit. 12. §. 1. n. 2.* (*g*) ſubſequitur litis conteſtatio; (*h*) præſtatur juramentum calumniæ, *l. 2. §. 4. C. de jurej. propter calumn.* dictum Græcis ἀντωμοσία; Καλεῖται γὰρ οὕτως, ait *Harpocrat.* hâc voce (cum quo etiam *Heſych. & Suid.* convenit) ἐπειδὴ ἀντώμνυον οἱ διώκοντες καὶ οἱ φεύγοντες, οἱ μὲν, ἀληθῆ κατηγορήσειν, οἱ δὲ, ἀληθῆ ἀπολογήσασθαι; vel etiam προωμοσία, ut quæ *Polluci lib. 8. cap. 6.* eſt ὅρκος, ὃν ὁ κατήγορος προσόμνυσι, ἦ μὴν ἀληθῆ κατηγορεῖν, *contradiſtincta* ἀντωμοσία, quę eidem definitur ὅρκος, ὁ κατηγορούμενος ἀντόμνυσι, ἦ μὴν μὴ ἀδικεῖν; (*i*) producuntur teſtes & inſtrumenta *l. 39. pr. h. t. l. ult. C. de teſtib.* (*k*) excutiuntur cauſſæ merita *l. 3. §. 1. h. t. c. 10.* X *. eod.* & tandem (*l*) ipſa litis inſtantia finienda triennio *arg. l. 13. pr. C. de judic. Scholiaſtes Baſilic. h. t. lit. R.* εἰ μὴ συμφωνηθῇ ἢ, μέχρι τετ-

τίας

τίας ἡ πᾶσα χρηματικὴ ἀγωγὴ κινεῖται περὶ τῶ αἱρετῶ, ὡς ἐπὶ τῶν πολιτικῶν δικαστηρίων πᾶσα χρηματικὴ δίκη σβέννυται, non officiente *l. ſed ſi compromiſſum. 14. h. t. auth. ſi tamen. in fin. C. de tempor. & reparat. appellat. l. ſi Stichum aut Pamphil. 16. §. 1. de V. O.* conf. *Mynſing. 3. O. 44. n. 8. Everhard. Top. Legal. loc. 40. n. 2. multisq; ſeqq. Schickhard. Log. Jurid. Loc. 3. ab æquiparatione reg. 3. n. 123. ſeqq. Matth. Stephan. Dialect. Jur. lib. 2. loc. 95. JCtos th. 24. copioſè laudatos, & Scacc. d. q. 2. n. 673. ſeqq.* ubi & *n. 687.* cum allegatis monet, de Jure Canon. & obſervantiæ Curiæ Romanæ hanc inſtantiam eſſe perpetuam.

XXVII. Cauſsâ verò hâc ratione ſufficienter excusſâ, ſententiam certam, *l. 21. §. 3. h. t.* (qualis non tantùm eſt illa, ex quâ conſtat apertè, quid, quale, quantumve ſit, ad quod condemnatur reus, ſed & quæ ſe ad quantitatem ante in libellô vel obligatione determinatam refert *l. 5. §. 1. de re judic. l. 59. §. 1. eod.*) & plenam *l. 2. & 3. Cod. Theodoſ. de ſentent. ex peric.* (Græci dicerent διηγηματικὴν ἢ πραγματικήν. vid. *Jacob. Gothofred. ad d. l. 3.*) & quidem *arg. l. 2. C. de ſent. ex peric. l. 1. π. h. noſtri tit.* ex periculo, ſive libellô & ſcripto, uti vocem periculum rectè exponit *modò, ſed nunquàm ſatis laudatus JCtus ac Polyhiſtor. ad d. l. 2.* (licet aliàs ipſa Scriptura ad laudi per ſe conſiderati eſſentiam non ſpectet) recitare, eáq; toti controverſiæ finem imponere debet ipſe arbiter, *Wameſ. Conſil. de Jure Pontificio. 61. n. 5.* & ſi uno plures ſint electi, ad unum omnes ſimul, adeò, ut ab uno ſaltim, reliquis tacentibus, fruſtrà fiat pronunciatio *arg. l. 17. §. 2. h. t. junct. l. duo. 28. l. Pomponius. 36. l. duo ex tribus. 39. de re judic.* quemadmodùm exinde etiam *Azonem* & alterum quendam *Doctorem*, arbitros electos, ſimul ſententiam legiſſe, *Speculator* docet. conf. *Lapus Abbas ad c. 2.*

 h. t.

h.t. in 6to. Hodiè tamen putant ſufficere, ſi ab uno arbitrorum, aliis præſentibus & mandantibus, ſcripta ſententia recitetur, modò is, qui recitat, utatur verbis in numero multitudinis *cap. ab uno. 4. de ſentent. & re judic. in 6to.* ibiq; *Philipp. Franc. n. 1. & 2. Johann. Baptiſt. c. 15. n. 24.* ubi hanc ſententiam etiam de Jure Civili valere arbitratur, ſi omnes arbitri ſedeant, & unus eorum in manu teneat ſententiam de voluntate omnium confectam, & pronunciet dicendo: nos talis & talis &c. nomina arbitrorum nominando & totam ſententiam legendo, aliis tacentibus. conf. *Hoſtienſ. Summ. h. t. n. 8. verſ. conſtituitur.*

XXIIX. Pronuncianda autem ab arbitro ſententia eſt (1.) partibus & corpore & animo præſentibus *l. 27. §. 4. & 5. l. 47. l. 49. pr. h. t.* Unde coram furioſo & pupillo (idem de minore enunciat *Bachov. in not.*) non rectò dicetur ſententia; nihil officiente *l. 56. §. ult. de evict.* ſed illius Curator ſolus, cùm nihil ibi ſit, quod poſſit ſuppleri; hujus verò tutor unà cum pupillo, ut qui omnia fermè negotia rectè cum ſuo tutore agit, recitationi adeſſe debet; vid. *Cujac. ad d. l. 47. & 49.* niſi aliud in compromiſſi formulâ expreſsè ſit cautum *d. l. 27. §. 4.* quod utiq; factu non impoſſibile, cùm tota vis compromiſſi dependeat ex conventione; (2.) Tempore legitimo *l. 1. C. l. 21. §. 5. & 8. l. 13. §. pen. h. t.* & die non-ſacro, hôc enim prolatum laudum eſt nullum, *arg. l. 7. in fin. C. de feriis, junct. l. 1. §. 1. l. 6. ff. & cap. fin. X. eod.* vid. tamen *Græneweg. ad l. fin. C. de fer. n. 2. & Paul. Buſ. ad l. 36. h. nr. tit.* alio autem feriato die partibus conſentientibus dicta ſententia valet *arg. d. l. 36. h. t.* (3.) In loco honeſto, non popinâ vel lupanario, congruo, & in compromiſſo condicto; in alio ſi proferatur ſententia, ipſum arbitrium eſt nullum, nec contra refractarium

poena

pœna committitur *l. 21. §. 10. & 11. h. t.* ubi verò in compromiſſo non eſt facta mentio loci certi, ferenda ſententia illo in loco, in quô compromiſſum eſt factum *d. §. 10. h. t.*

XXIX. Finis compromiſſorum eſt, ut lites eò melius abbrevientur, illarumq; moleſtiæ, moræ, ſumptus, aliaq; incommoda evitentur faciliùs, *l. 1. l. 37. h. t. Carpzov. p. 1. c. 1. d. 15. Utilitas arbitri*, ait *Donellus noſter 28. Comment. c. 10.* non longè ab initio; *in promptu eſt. Judicium namq; res longa eſt; perſecutio in eo & defenſio utplurimum & difficilis & moleſta. Judex ipſe, qui aditur, plerumq; impeditur: nonnunquàm iniquus aut infenſus litigatoribus, cujus judicium ſubire periculoſum eſt. Vitantur hæc incommoda, ſi, dùm erit viri boni & intelligentis minimèq; ſuſpecti copia, qui judicandi operam inter privatos non recuſet, hunc litigatores ſumant arbitrum, ut velint, quod ille ſententiæ dixerit, ratum eſſe: Si modò & illud ſequatur, quod quærunt, ut arbitrium finiat controverſiam.* conf. *Kreidemann. Tractat.* Vom Teutſchen Adel / *q. 25. ſub fin.* & *Wehner. in Obſervat. Pract. voce Compromiſſ. circà fin.*

XXX. Hoc compromiſſum litis pendentiam non inducit *arg. l. 30. & ibi Gloſſ. h. t. Gail. 1. O. 141. n. 3.* licet Delegatis Ordinum Geldriæ apud *Lambert. Goris Adverſar. Jur. ſubciſ. tractat. 4. §. 5. n. 2.* aliter viſum fuerit. Ex parte tamen arbitri, qui arbitrium ritè & legitimè in ſe recepit, hoc operatur, ut is amplius illud minimè recuſare, ſed etiam nobili judicis officio ad id perficiendum compelli poſſit. *Tametſi enim* ab initio *neminem Prætor cogat arbitrium recipere, quoniam hæc res libera & ſoluta eſt, & extra neceſſitatem juriſdictionis poſita; attamen, ubi ſemel quis in ſe receperit arbitrium, ad curam & ſolicitudinem ſuam hanc rem*

 per-

pertinere Prætor putat: Non tantùm, quòd ſtuderet lites finiri, verùm quoniam non deberent decipi, qui eum, quaſi bonum virum, diſceptatorem inter ſe elegerunt. Finge enim, poſt cauſſam jam ſemel atq; iterùm tractatam, poſt nudata utriusq; intima, & ſecreta negotii aperta, arbitrum vel gratiæ dantem, vel ſordibus corruptum, vel aliâ quâ ex cauſâ nolle ſententiam dicere: Quisquamne poteſt negare, æquiſſimum fore, Prætorem interponere ſe debuiſſe, ut officium, quod in ſe recepit, impleret? veluti nervosè diſcurrit *Ulpian. in l. 3. §. 1. h. t.* Interponit autem Prætor officium ſuum compellitq; ad arbitrandum arbitrum remediis Prætoriis h. e. vel pignoribus captis *arg. §. pen. J. de ſatisdat. tut. l. 1. §. 3. in fin. de inſpic. ventr. l. 3. §. 1. de reb. eor. qui ſub tutel. l. dies. 4. §. 2. de damn. infect.* vel multæ irrogatione *l. 32. §. 2. h. t. & d. l. 1. §. 3. de inſpic. ventr.* vel incarceratione *l. 9. §. ult. ad L. Jul. pecul.* modisq; aliis ſimilibus, & quidem ille ipſe Prætor, qui aliàs illius arbitri judex & Magiſtratus eſt ordinarius. Hinc ſi hodiè plures arbitrium in ſe reciperent, illiq; ſub diverſorum Magiſtratuum (voce hâc in ſignificatu vulgari acceptâ; vid. *Guther. 1. de O. D. A. c. 20. B. Dn. Bœcl. ad Grot. l. 1. c. 3. §. 6. & lib. 2. Inſtit. Politic. c. 6.*) primus v. g. ſub Potentiſſimi Electoris Bavariæ, ſecundus ſub Sereniſſimorum Marchionum Brandenburg. tertius ſub Reverendiſſ. Epiſcopatûs Eichſtetenſis, quartus ſub inclytæ Reipublicæ Noribergenſis Jurisdictione exiſterent, ſinguli à ſingulis ſuis Magiſtratibus compellerentur.

XXXI. Licet verò Prætor in hoc ſuo Edicto diſtrictè & abſcisè edicat, ſe eum, qui arbitrium receperit, ſententiam dicere coacturum; nihilo minùs tamen, ut in Edicto de in jus vocando *l. 11. illo tit.* & de procuratoribus *l. 8. §. ult. de procurat.* præcedente cognitione res temperatur,

justa-

juſtaq; excuſationis cauſſa admittitur *l. 9. §. 4. 5. & ſeqq. h. t.* adeò, ut etiam, ſi unus tantùm juſtam excuſationis cauſſam habeat, alter liberatus ſit, cùm aut omnes cogendi, aut nullus *l. 17. §. 2.* Undè ſi arbitrium ita ſit comparatum, ut ſententia dicta ſuum non poſſit habere effectum, vel ipſo jure, vel inopiâ rei, qui bonis ceſſit *d. l. 17. pr.* vel ſi rectè non ſit compromiſſum, & compromittens inhabilis, vel in formâ aliquid deficiat, vel ſi ipſæ partes arbitrum deſeruerint, alio arbitro vel judice adito *l. 9. §. ult. l. 10. h. t.* vel *ſi fuerit infamatus à litigatoribus; aut ſi inimicitiæ capitales inter eum, & litigatores, aut alterum ex litigatoribus interceſſerint; aut ſi ætas, aut valetudo, quæ poſteà contigit, id ei munus remittat, aut occupatio negotiorum propriorum, vel profectio urgens, aut munus aliquod Reipublicæ, aut alia aliqua incommoditas ei poſt arbitrium ſuſceptum incidat*, uti hæc omnia enumerantur in *l. 15. & ſeq. pr. h. t.* non cogetur arbiter. vid. *Hoſtienſ. in Summ. hîc n. 13. Donell. Comment. d. l. c. 11. Zoeſ. hîc n. 20. ſeqq.*

XXXII. Primarius Compromiſſi effectus eſt ipſum arbitri effatum, quod licet per omnia non habeatur pro ſententiâ *l. 13 §. 5. de his, qu. not. infam.* cùm arbitri munus non ſit publicum, ut judicis *l. 78. de judic.* à veteribus tamen JureConſultis, teſte *Duareno h. t.* ubiq; ſententia appellatur. Dicitur aliàs etiam arbitrium, ut in *l. item, ſi unus. 17. §. 6. & ult. h t. c. 7. 9. 11. X. eod.* & apud *Feſtum de V. S. hâc voce,* quem ſequitur *Popma 1. de differ. verbor.* vid. & *Pauermeiſt. d. c. 28. num. 5.* licet diſſentire videatur *Alciat. 1. Parerg. 45.* quem ob id modeſtè refutat *Coraſ. 4. Miſc. 18. num. 9. & 10.* & vulgò communiter laudum, quod ipſum vocabulum quantumvis *Duareno h. t.* dicatur ineptiſſimum, *Coraſio d. l. n. 8.* maximè barbarum & ineptum, *Wiſſenbachio* ... *th. 18.*

 illau-

illaudatum, & ſit etiam in Civitate Latinâ peregrinum, vid. *Alciat. d. l. Voſſ. de vitiis. latin. ſermon. c. 18.* quia tamen ſic vult Pragmaticorum uſus,

Quem penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi; ab illius uſurpatione etiam non magnoperè erit abhorrendum. Διοριστέον γὰρ ποῖα δεῖ καλεῖν, ὡς οἱ πολλοὶ, καὶ ποῖα οὔ. Χρήσιμον δὲ καὶ πρὸς τὸ κατασκευάζειν καὶ πρὸς τὸ ἀνασκευάζειν, οἷον, ὅτι ταῖς μὲν ὀνομασίαις τὰ πράγματα προσαγορευτέον, καθάπερ οἱ πολλοί. ποῖα δὲ τῶν πραγμάτων ἐστὶ τοιαῦτα ἢ οὐ τοιαῦτα, οὐκέτι προσεκτέον τοῖς πολλοῖς, uti verba habent *Philoſophi 2. Topic. 2. §. 5.* conf. *Hottom. de verb. feudal. hâc voce.* & *Imbert. Inſtit. forenſ. c. 68. in fin.*

XXXIII. Hæc arbitri ſententia ex auctoritate ipſius arbitri nullam quidem vim habet *arg. l. 3. C. de Juriſdict.* neq; actionem neq; judicati exceptionem per ſe producit *l. 2. ff. l. 1. C. h. t. Paul. recept. ſentent. lib. 5. c. 5. §. 1.* ibiq; *Cujac.* vid. *B. Dn. Ludwell. ad Weſenbec. hic num. 5. Scacc. d. c. 2. num. 408. Gonzalez ad c. 2. X. h. t.* propter compromiſſum tamen, καὶ ὅτι ὁμολογήσαντες ἐμμένειν, οἷς ἂν δικάσῃ, ut loquitur *Apollon. Rhod. Scholiaſt. loc. ſuprà citat.* vid. *l. 1. l. 13. §. 2. l. 32. §. 16. l. 11. §. 4. l. 27. §. fin. ff. l. 5. pr. C. h. t. Chriſtin. vol. 1. Deciſ. 257. num. 6. & vol. 2. Deciſ. 56. num. 1. Carpzov. p. 1. c. 1. d. 13. n. 6.* partes compromittentes, cujuscunq; fuerint ordinis & dignationis, Reges etiam ac integri populi, illarumq; hæredes & ſucceſſores, eidem ſtare tenentur, ſive illa æqua fuerit, ſive iniqua *l. 27. §. 2. h. t. l. 76. pro ſocio;* quamvis ſubtiliter magis, quàm verè contrà diſputet *Molin. d. tract. D. 30.* Aliud enim eſt, quærere de arbitri officio, aliud de compromittentium obligatione. *Pactum, quô partes in arbitrum compromittunt,* ait *Puſendorf. 5. de J. N. & G. c. 13. n. 4. purum conceptum eſſe debet, quòd velint ſtare eâ*

re eâ ſententiâ, quam arbiter pronunciaverit; non autem ſub hâc conditione, ſiquidem æquam iſte ſententiam pronunciaverit: nam hoc modo, ubi ſuper æquitate ſententiæ alteruter litigantium dubium moveret, ad alium foret arbitrum eundum, qui ſupèr iſtâ cognoſceret; de cujus æquitate ſi iterùm ambigeretur, alius eſſet conſtituendus arbiter, & ſic in infinitum. Hæc Puſendorfius. Signanter etiam *Plinius præfat. Natural. Hiſtor. Summum quisq; cauſſæ ſuæ judicem facit, quemcunq; elegit.*

XXXIV. Atq; hinc eſt, quod (1.) à ſententiâ arbitri non detur appellatio, id quod & veteri Græcorum legislationi conforme; Οἷς γὰρ ἐξῆν μηδὲ τὴν ἀρχὴν ἐμμένειν, εἰ τούτοις τις αὐθαίρετος εἵλετο, στέργειν ἐστὶ δίκαιος τοῖς ἐγνωσμένοις, ut loquitur *Abdicatus apud Lucian. fermè in med.* & in compromiſſo à ſummis poteſtatibus in ſummam poteſtatem inito oppidò eſt expeditum, cùm ibi non detur, ad quem appellari poſſit, quiq; illarum ſententiam queat corrigere aut compromiſſi vinculum impedire vel ſolvere; ſed & inter privatos ſatis liquidum per *l. 1. C. arg. l. 27. §. 2. π. h. t. junct. l. 27. de Minor. & l. 1. de appellat. Lanfr. d. tract. p. 1. n. 6. Blanc. q. 10. n. 1. ſeqq.* Ipſæ certè partes, cum ſciant, controverſiam judiciali ſententiâ facilè poſſe determinari, & tamen nihilò minùs, ſepoſito LL. ordinario proceſſu, judicisq; ad LL. reſtricto officio, eandem privati alicujus libero arbitrio committendam ducunt, eô ipsô omni facultati provocandi renunciare, & arbitri ſui ſententiæ per omnia ſtare velle cenſentur *arg. l. Pomponius. 9. de negot. geſt.* quod ſecùs in judiciali contentione, cùm illam ſubire, ſi reus, eò confugere, ſi actor, ſuô jure excidere nolens, omninò neceſſe habeat. Accedit, quòd hîc appellatio etiam planè foret fruſtranea. Sententia, à Magiſtratu la-

tu lata, tranſit in rem judicatam, mereturq; exſecutionem, niſi appellatio pronunciatum interim impediat *l. 1. in fin. ad SCt. Turpill.* nec enim ſimplici contradictione victus jus publicum impedire poteſt; aſt arbitri ſententia in rem judicatam non tranſit, neq; etiam actionem judicati producit, quid igitur impediat aut ſuſpendat appellatio? *Alciat. ad l. 55. de legat. 1. n. 47.* Sed nec ad evitandam pœnam, ex compromiſſo pœnali debitam, proderit, ut quæ jam tùm eſt commiſſa, quô eſt appellatum, cum ſatis conſtet, appellantem impugnare ſententiam.

XXXV. N.O. (1.) *l. 23. pr. de appellat.* ut quam non de arbitris compromiſſariis, ſed juris & edititiis ad *d. l.* accipit *Cujac.* qui etiam obinde, ope *Baſilic.* ubi *lib. 9. tit. 1. l. 22.* ita redditur: Ἐὰν κατὰ συναίνεσιν τ̄ μερῶν χωρὶς αἱρετῶν &c. in *d. l. citra* mavult, quàm *circa* legere, quem utrinq;, licet non nominatum, *Cod. h. t. Wiſſenbach.* ſequitur. (2.) *l. 32. §. 14. h. t. Bachovio* enim in πρ. ſpecies appellationis ibi uſurpatur abuſivè, & eâ ratione, quâ per indirectum, accommodatâ reo convento exceptione doli, retractatur ſententia. Quò etiam recidit, quandò *Duaren. h. t. c. ult.* & cum eo *Pauermeiſt. 1. de Jurisdict. c. ult. num. 26.* ſpeciem interpretatur ſimilitudinem, uti aliàs quoq; hoc vocabulum accipitur in *l. 2. de jurej. & l. 25. §. 11. de hered. petit.* & quandò *Baſilic.* hanc vocem notanter exprimunt: Ἐν τάξει ἐγκλήτου, & adhùc clariùs *Scholiaſtes,* κατὰ μίμησιν ἐγκλήτου, quæ omnia ipſe *Paulus in d. §. 14.*, penitius paullò inſpecto, ſatis apertè ſubinnuit. Conſiſtit autem illa ſimilitudo & μίμησις in eo, ut quemadmodùm appellatio interpoſita remoratur exſecutionem rei judicatæ: ſic illa doli exceptio pœnæ ſtipulatæ ex compromiſſo petitionem. (3.) *l. 9. qu. ſatisdar. cog.* utpote quam ibidem de Juris tantùm

tùm arbitris intelligunt *Præpoſ. 2. F. 34. ad verſic. ſed inter. num. 2. Vaud. 1. var. quæſtion. 14. Pauermeiſt. d. l. Carpzov. p. 1. c. 1. d. 13. n. 8.* & *Wiſſenbach. Cod. h. t.* (4.) *Can. ſanè. 34. c. 2. q. 6.* vid. ibi ſubjunctam notulam, quam & *Wiſſenbach. & Eckold.* probat, & quæ infrà dicentur de arbitris electitiis. conf. *Cyn. Bart. & Bald. Caſtrenſ. ac Dd. communiter ad d. l. 1. C. h. t. Ann. Robert. 3. rer. judic. 8. Ant. Fab. in Cod. h. t. d. 6. Scacc. de appellat. q. 17. limitat. 13. Gonzalez ad c. 2.* ✕. *h. t. num. 14. ſeqq.* & *Clezel. de appellat. c. 4. n. 45. ſeqq.* Notat tamen *Cujac. ad d. l. 27. de appellat. l. 32. §. 12. h. t. ad Nov. 82. & in Conſultat. 12. pr.* ut & *Duarenus h. t. cap. de effectu ſententiæ*, in Galliâ, ex more, & hunc poſteà ſecutâ Conſtitutione Regiâ, ab arbitrorum etiam ſententiâ appellari poſſe. Sed & *Alciat. d. l. n. 59. Sichard. ad l. 1. C. de reb. cred. n. 4. Mynſinger. d. l. Parlador. d. §. 2. n. 23.* excipiunt hîc arbitria ſtatutaria, quibus tamen abſentiunt *Rulant. 3. de Commiſſ. lib. 9. c. 3. n. 24. ſeqq. B. Dn. Ludwell. d. l.* & *Clezel. d. l. n. 47.* qui cum *Auguſt. Barboſâ ad l. 1. C. h. t. num. 3. ſeqq.* & *Gutierrezio d. l.* pluribus ab utrâq; parte videndi, nobis enim cupido aliquandò tandem γλῶ ὁρᾶν. Alii verò hoc noſtrum aſſertum extendunt, & appellationem etiam partibus denegant, etiamſi id expreſsè ab iis fuerit conventum; ita *Cyn. d. l. n. 2. Scacc. d. l. n. 1. ſeqq.* cujus tamen contrarium placet *Mynſing. d. l. n. 6. Mejero in Colleg. h. t. n. 60. in fin. B. Dn. Ludw. ad Weſenbec. h. n. 7.* vid. cum ſtudio *Alciat. Jaſ. & Gutierrez ad d. l. 55. de legat. 1.* ille quidem *n. 47. ſeqq.* iſte verò *n. 66. ſeq.* hic autem *n. 417. ſeqq.*

XXXVI. (2.) Sententiæ arbitralis ad arbitrium boni viri, qui ſcilicet, ſicut eundem, more eruditis conſueto, vid. *Scherbius noſter in Philoſoph. Altdorf. p. 15. ſeq. & Lipſius manuduct. ad Stoic. Philoſ. lib. 1. diſſert. 16. junct. l. 2. diſſert. 10.*

 in

in perfectionis ὑπεροχῇ deſcribit *Alexander ab Alexandro 6. Gen. Dier. c. 1. ubiq; ſanctus, ubiq; integer, caſtus, honeſti cultor, pius & integer ſit, cujus ne erratum quidem minimum fuerit, ne dicam vitium; qui nullo modo perterritus, nullâ calamitate victus, fortunæ cedat; qui nihil expetat, nihil dicat, nihil faciat in vitâ, niſi cum ſummâ laude & dignitate; qui in nullâ re delinquat, quem nullius rei pœniteat; quiq; ſervet fœdera humani generis ita inviolata in magnis minimisq; rebus, ut ne minimâ quidem conſcientiæ labe detineatur*, conf. *Ravard. ad l. 22. §. generaliter. de R. J.* non admittatur reductio *l. 76. pro ſocio. l. 27. §. 2. h. t. Perez. in Cod. h. t. n. 14. Chriſtin. vol. 2. deciſ. 142. n. 3. Bachov. in πρ. h. t. pag. 1237.* quantumvis eandem, ſi læſio compareat enormiſſima, hodiè concedendam arbitrentur *Menoch. Conſil. 406. num. 32. ſeqq. Zaſ. 2. Conſil. 12. n. 36. Gail. 1. O. 149. ſeq.* ibiq; *Grav. Concluſ. 150. conſid. 1. n. 3. Mynſing. 2. O. 61. Sand. 1. tit. 14. deciſ. 1. Ciarlin. d. l. 1. c. 68. per tot. Clezel. d. c. 4. n. 50. ſeqq.* quemadmodùm eo caſu in Camerâ quoq; reviſio indulgetur *R. I. de ann. 1594. §.* So wollen und ordnen wir. *65.* conf. *Scacc. d. q. 2. n. 438. multisq; ſeqq. Gabriel. 2. Commun. concluſ. h. t. concluſ. 3. per tot. Meichſn. d. deciſ. 11.*

XXXVII. (3.) Arbitri ſententia non poſſit reſcindi ex *l. 2. C. de reſcind. vend. arg. l. 76. pro ſoc. l. 27. §. 2. h. t. l. 8. C. de reſcind. vend.* quantacunq; etiam fuerit læſio, licet in caſu læſionis enormiſſimæ hîc *d. l. 2.* remedium competere velit *Mynſing. 1. O. 33.* & *Chriſtin. 2. deciſ. 143.* utpote ob quam etiam transactionem reſcindendam docent *Maſtert. var. tractat. tract. de reſcind. vendit. q. 11. Trentacinq. lib. 3. tit. de empt. reſol. 3. n. 7. multiq; alii*, & decidit *Rota Romana apud Cardin. Celſ. deciſ. 289. n. 2. & 3. & deciſ. 318.* vid. *Pinell. ad d. l. 2. C. de reſcind. vendit. p. 1. c. 4. n. 12. ſeqq.* quamvis de

Jure

Jure contrarium verius. vid. *Dn.* Lauterbach/ *ad tit.* ϖ. *de reſcind. vendit.* §. *34.* & *ibidem allegati.*

XXXIIX. Utut autem hæc tria juris remedia contra ſententiam arbitri non habeant locum, ſi tamen ille ex gratiâ vel inimicitiâ, aut per ſordes, (de quibus videri meretur *Farinac. de var. crim. q. 111. art. 4. ſeqq.*) pronunciaverit, iniqua illa ſententia elidetur doli exceptione *l. 32.* §. *14.* ϖ. & *l. 3. C. h. t.* conf. *Bargal. 3. de dolo. c. 10.* id quod etiam in compromiſſo ſummarum poteſtatum ex Jure Naturali & Gentium admittit *Pufendorf. d. c. 13. n. 4. ſub fin.* Sin verò laudum apertè ſit contrà LL. vid. *l. ſi expresſim. 19. de appellat. c. ex parte. 10.* & *ſeq.* ✗. *h. t.* aut manifeſtam turpitudinem comprehendat *l. 21.* §. *7. h.* vel ex cauſsâ aliâ, puta ob perſonarum inhabilitatem, vel quia aliquid factum contra formulam compromisſi *l. 1. C. h. t.* aut ſolitum judiciorum ordinem *l. 4. C. de ſentent.* eſt nullum, eidem non paretur impunè *l. 21.* §. *7.* & *8. h. t. l. 1. C. eod.* conf. *Rulant. 3. de Commiſſ. lib. 9. c. 3. Caballin. p. 2. milleloq. jur. 882.* & *Gonzalez ad c. 2.* ✗. *h. t. n. 10.*

XXXIX. Sententiam ita ſemel legitimè dictam arbiter poſteà non poteſt mutare *l. 19.* §. *fin. h. t. Seneca* non uno loco in controverſiis: *Sanè judex, quam tulit de reo tabellam, revocare non poteſt: quæſitor non mutat pronunciationem. Apulej. 1. Flor. Sententia ſemel lata, neq; augeri literâ unâ, neq; minui poteſt.* Etiamſi in illâ erraverit. Semel enim vel benè vel malè officio functus eſt *d. l. 19. in fin. arg. l. 35. de re judic.* ſemelq; controverſiæ per abſolutionem vel condemnationem rei finem impoſuit, quam iterum reſuſcitare exemplo foret grave. vid. *Fr. Nig. Cyriac. 2. controverſ. forenſ. 348. num. 2. ſeqq.* Quod etiam de ſententiæ de-

claratione nonnulli affirmant, niſi fortè in ipſo compromiſſo etiam hæc poteſtas arbitris ſpecialiter ab initio ſtatim fuerit conceſſa, vel ipſæ partes hanc poteſtatem arbitro de novo concederent, quô caſu verò non habendus pro arbitro priori, ut qui ſuo officio jam tùm erat functus, ſed novô, ex novo conſenſu novoq; compromiſſo datô. vid. *Gabriel. 6. commun. concluſ. tit. de Reg. Jur. concluſ. 3. n. 17. ſeqq.* Hæc ipſa tamen omnia intelligenda ſunt de ſententiâ definitivâ; interlocutoriam enim & immutare & declarare poſſe arbitrum, concedit etiam poſt *Baptiſtam & Donellum B. Dn. Brunnem. ad d. l. 19. §. ult. n. 4.*

XL. Partes autem huic ſententiæ parere compellentur vel per indirectum & obliquè, metu ſcilicet pœnæ aut præſtationis ejus, quod intereſt, quem compellendi modum *Donellus d. c. 10.* conventionalem appellat, vel per directum, actione videlicet in factum & pacti exceptione, quem modum *Donellus* legitimum nominat, inſtitutâ vel oppoſitâ coram ordinario Magiſtratu, ut is, non arbiter, *arg. l. 15. pr. de re judic.* ad ſimilitudinem judicati, ſententiam arbitri rectà exſecutioni mandet *l. 5. pr. C. h. t.* modico tamen tempore, quod & huic ſententiæ tacitè ineſſe videtur, & pro perſonarum & rei qualitate determinandum eſt à judice, *Menoch. A. J. Q. caſ. 8. Spreng. de modicô c. 2.* poſt condemnationem reo non denegato *l. 21. in fin. h. t.* quandò enim dicimus, aliquem debere ſtatim ſolvere, hoc cum aliquo temperamento ſemper intelligendum eſt: nec enim cum ſacco adire debet creditor *l. 105. de ſolut.* ſin ſolutioni dies expreſsè eſt præfixus, is expectandus erit.

XLI. Speciatim verò ex compromiſſo ſtipulato contra refractarium actio datur vel ad promiſſam pœnam, vel

ſi ex-

ſi expreſsè in actu compromittendi nullius pœnæ injecta mentio, ad id quod intereſt, *l. 27. §. ult.* ita tamen, ut præſtito illô, à judicatis iterum recedere cauſamq; de novo coram judice ordinario inſtituere non ſit prohibitum *Nov. 82. c. 11. auth. decernit. C. h. t. Sichard. ad l. 1. n. 4. C. de procurat. Bocer. d. Cl. 6. D. 37. n. 81.* niſi ſimul etiam apertè fuerit conventum, quòd pœna ſalvo laudo, (de quâ clauſulâ vid. *Barboſ. clauſ. 139. ſeqq.*) præſtari debeat. Virtute enim hujus clauſulæ duo cenſentur interveniſſe compromiſſa, unum pœnale, alterum ſimplex ſeu cauſſæ ipſius, ita, ut contradictor & pœnam ſolvere, & ſententiæ arbitri nihilò minùs ſtare teneatur, poſt *Bartol. Boc. d. l. n. 82.* Eadem mens *Alciati ad d. l. 55. de legat. 1. num. 48. circà fin.* cùm ait: *Apparet ex tali clauſulâ, manifeſtam compromittentium mentem eſſe, ut per adjectionem pœnæ non minuatur laudativi effectus, ſed augeatur potiùs; eſtq; actus per hujusmodi clauſulam efficacior, quàm ſi, eâ non adjectâ, per ſtipulationem quoq; compromiſſum fuiſſet; tunc enim altero contentus eſſe ſtipulator deberet, vel pœnâ, vel eô, quod conſecutus actione ex ſtipulatu eſſet, quæ ad id, quod intereſt, competit.* conf. *Gail. 1. Obſ. 150. n. 14. Scacc. d. c. 2. n. 416. ſeqq. Panormitan. d. repetit. n. 40.* Si compromittentes pœnam ſimpliciter promiſerunt & plura ſententiæ reperiuntur capitula, uni verò duntaxat eſt contraventum, non integra pœna committetur, ſed tot erunt illius pœnalis ſtipulationis diviſiones, quot ſunt capitula *arg. l. quod dicitur. 86. de V. O. junct. l. 3. pro de relict. l. quæ de totâ. 76. pr. de V. S.* Quòd ſi plures ſint hæredes, & unus tantùm contravenerit, videndum, an illa ſententia contineat quid dari vel factum individuum; & jure civili omnes tenentur *arg. l. eadem. 4 §. 1. & l. 5. in fin. de V. O.* an verò habeat quid dividuum, & pœna committetur ab omnibus hæredibus pro portione hæreditariâ, ab uno pro

 portio-

portione ſuâ *d. §. 1.* Cæterùm ſi nudo & ſimplici pacto ſit compromiſſum, & partes poſteà ſententiam arbitri vel expreſsè ſubſcribendo, e. g. ἐμμένειν, στοιχεῖν, πληροῦν, πάντα ποιεῖν vel διδόναι, uti quidem verba *l. 4. §. 6.* legit *Cujac. 17. O. 16.* etiamſi non adjecerit ὁμολογῶ; conf. *Panormitan. in d. repetitione. n. 36. Menoch. 2. de præſumpt. 67. n. 7. ſeqq. Gabriel. 1. commun. concluſ. tit. de præſumpt. concluſ. 3. per tot.* vel tacitè h. e. intra 10. dies tacendo approbaverit, (ſola enim taciturnitas non ſufficit, ſed expectandum omninò decendium) datur ex laudo homologato contra non-parentes in factum actio vel pacti exceptio *l. 5. pr. C. h. t. Scacc. d. c. 2. n. 431. ſeqq.*

XLII. Finitur compromiſſum (1.) morte ipſius arbitri *l. 32. §. 3. l. 40. l. 45. h. t. c præſentata. 50.* X. *de teſtib.* Cùm facultas arbitrandi quid ſit perſonale, & in compromisſis arbitrium perſonæ inſertum perſonam non egrediatur *l. 45. h. t. Menoch. Conſil. 994. num. 20. & A. J. Q. q. 68.* partes enim confidunt prudentiæ & æquitati arbitri, quem elegerunt, fortè, quia eum vel nôrunt intimiùs, vel ſaltim benè erga ſe affectum eſſe credunt, id quod verò non ſtatim ſibi etiam poſſunt polliceri de arbitri hæredibus; niſi tamen ea compromiſſo adjecta ſit conditio, ut etiam (liceat ὀνοματοποιεῖν) coärbitri reliqui, aut arbitrorum hæredes nihilo minùs posſint arbitrari. Idem dicendum; diſſolvi ſcilicet factum compromiſſum, ſi litigatorum alterutrer fatis conceſſerit antè, quàm lata ſit ſententia, *l. 27. §. 1. l. 32. §. 3. c. ult.* X. *h. t.* de ſuo enim facto litigatores promittunt, cùm ſpondent, ſe arbitri ſententiæ ſtaturos, non alieno & hæredum; niſi & hîc hæredum injecta mentio *l. 32. §. 19. h. t.* & quidem utrinq; *l. 49. §. 2.* ne claudicent arbitria, quod valdè notandum monet *Cujac.* vid. & *Duen. reg. 128.*

reg. 128. per tot. (2.) Lapſu diei compromiſſo adjecti *l. 21. §. 8. l. 32. §. 3. in fin. w. l. 1. C. h. t. Caballin. part. 2. milleloq. 871.* ut quem arbiter absq; ſpeciali conceſſione quemadmodùm non poteſt referre *l. 33. h. t.* i. e. antevertere, anticipare, usq; adeò, ut, ſi nihilo minùs retulerit & unus abfuerit, non committatur pœna, etiamſi alter conſenſerit, cùm nemini per alterum iniqua conditio ſit inferenda *l. 74. de R. J.* quæ idpropter *d. l. 33.* ab eôdem *Papiniano ex quæſtion. lib. 1. deſumpta*, ad mentem *Cujac. ad d. l. ſub fin.* & *Ravardi ad d. l. 74.* (paullò enim alia mens *Jacob. Gothofred. eod.*) rectè conjungetur; ita non poteſt proferre h. e. producere, prorogare, prodere, uti quidem hoc verbum poſterius ex *Lucilio* exponit *Nonius & Donatus*, *l. 25. pr. d. l. 32. §. 11. d. l. 33. Caballin. d. p. milleloq. 892.* Quod ſi verò cum conſenſu & placito compromittentium præterlapſum diem ex cauſsâ prorogare velit, poteſt hoc ipſum utiq; facere *dd. ll.* modò fiat intra terminum; aliàs enim non eſſet compromiſſum vetus, ſed novum *arg. l. ſed ſi manente. 5. de precar.* vid. *Boër. deciſ. 284. num. 2. ſeqq.* nec alia obſtent reiterationi. Ipſe autem arbiter ad prorogandum à partibus cogi non poteſt, niſi is in morâ fuerit, vel ad id ex recepto inveniatur obligatus. conf. *idem Boër. 2. deciſ. 283. per tot.* Factâ verò hâc prorogatione, omnia, quæ in primo compromiſſò ſunt comprehenſa, manebunt inconcuſſà *l. 25. §. 1. & ſeq. h. t. Boër. d. deciſ. 284.*

XLIII. (3.) Subſecuto pacto vel ſtipulatione, quâ remiſſa pœna vel intereſſe præſtatio *l. 13. pr. l. 32. §. 3. in fin. h. t.* non poteſt enim eſſe compromiſſum inter perſonas, quæ per mutuam interrogationem ſunt liberatæ, ſolutæq; nexu obligationis aut nexûs opinione. (4.) Accepto judicio, ſpretâ auctoritate arbitri *l. 30. l. 9. §. fin. & ll.*

ſeqq.

ſeqq. h.t. & ita quidem, ut ſi ambo compromittentes adiverint judicem, nec pœna committatur; Sin verò unus tantùm iverit, adverſariumq́; ad accipiendum judicium coëgerit, ſoluto compromiſſo, id fiat omninò, cùm alioquin in poteſtate unius ex litigatoribus eſſet, ſuâ pœnitentiâ eludere compromiſſum pro lubitu. vid. *d. l. 30. ibiq́; Cujac. h.t.* (5.) Aliis arbitris communi conſenſu electis *l. 9. §. ult. & ll. ſeqq. h. t.* (6.) Pœnâ jam cùm ſemel commiſſa *l. 32. §. 1. h. t.* hoc enim facto neq́; arbiter quid habebit, quod faciat aut jubeat; nec parti erit, cujus metu adſtringi poſſit ad obſervantiam; niſi tamen apertè actum, ut pœna ſæpiùs committatur *l. 34. §. 1. h t.* (7.) Transactione & rei controverſæ interitu *l. 32. §. 5. h. t.* Hinc ſi de animali ſit compromiſſum, & id intereà ob damnum datum noxæ ſit deditum, compromiſſum exſpirat, cùm ſic animal non ampliùs pertineat ad litigantes, laudumq́;, ſi nihilo minùs feratur, apertè foret fruſtraneum, contra *l. 11. in fin. h. t.* Si tamen, non obſtante interitu, adhûc litigantium interſit, v. g. propter fructus, partus, aliâve ex cauſsâ vid. *l. 16. de R. V.* ut feratur ſententia, aliud dicendum erit *d. l. 32. §. 5. h. t.* (8.) Sententiâ arbitrali jam ſemel dictâ *l. 19. §. ult.* ita, ut nec altera pars ad reiterandum compromiſſum cogi poſſit, *Scacc. d. q. 2. n. 637.* ſed de his aliisq́; ſimilibus compromiſſum diſſolvendi modis ulteriùs videri poterunt *Speculat. h. t. §. finitur. 5. Joh. Baptiſt. d. tractât. lib. ultim. per tot. Blanc. q. 7. arg. 7. Molin. d. l. D. 43. Darreſ. l. cit. in fin.*

XLIV. His noſtris arbitris *adfines* admodùm & conſimiles habentur, qui ad differentiam *arbitratores* appellantur, interq́; ſe invicem non rarenter ita confunduntur, ut neſcias, arbiter negotio intervenerit, an arbitrator. Formula igitur conſtituti compromisſi modusq́; procedendi

dendi præſcriptus & obſervatus, tanquàm quidam character & receptum κριτήριον, quo alter ab altero ſecerni ſolet, accuratâ diligentiâ eſt obſervandus. In dubio tamen, & ubi ex actis non præcisè paret, an diſceptator vice functus arbitri, an fuerit arbitratoris, poſterius magis credendum, poſt *Bald. & Angel.* arbitrantur *Fab. in Cod. h. t. def. 5. & Referens apud Thilmann. de Benign. ſyntagm. 3. decad. 2. vot. 7. n. 7.* Poſt hos in multis etiam cum arbitris noſtris conveniunt *judices*, usq; adeò, ut etiam *Accurſius* dicat, arbitria imitari judicia in principio, medio & fine, vulgarisq; habeatur regula, utraq; concordare in omnibus, ubi in jure differentia expreſsè non reperitur annotata *arg. l. 1. h. t. l. rem non novam. 14. C. de judic.* vid. plura in hanc rem apud *Everhard. loc. ſuprà laudato. Pac. Methodic. Cod. h. t. c. 6.* & *Alberic. Darreſ. eod. Arbitri ſtatutarii* quousq; conveniant cum noſtris, ex totâ hâc Diſſertatione ſatis diſpaleſcet. De *arbitris electitiis* verò, de quibus multa Juris Canonici loca *ad c. 1. X. h. t.* adducit *Gonzalez n. 2.* eorumq; cum noſtris convenientia, amplior ſubeſt controverſia. Canoniſtæ communiter eosdem cum arbitris compromiſſariis planè coincidere credunt, eò, quòd & illi, ut *Codic. Canon. Eccleſ. African. can. 15. ſub finem* verba habent, κατὰ συναίνεσιν τῶν μερῶν, vel, ut loquitur *can. 121. & 122.* κατὰ κοινὴν συναίνεσιν, dicantur electi, & præterea ab iisdem appellandi facultas partibus ſit interdicta *d. can. 15. & 122.* Abſentiunt verò hoc adſerto poſt *Balſamon. Ciron. 2. Obſerv. Jur. Canon. c. 2.* &, qui eum ſequitur, *Emanuel Gonzalez ad c. 1. n. 2.* eosq; ſuo modo ordinarios fuiſſe & legitimos contendunt. Primò enim liberum quidem erat partibus, ex judicibus provincialibus eligere in tales arbitros, quoscunq; malebant, aliquos tamen ex eis eligere tenebantur; quod ſecùs in veris compromiſſariis, ut quos

 par-

partes & quoad perſonas & quoad cauſſas ex merâ & liberâ voluntate eligunt. Neq; verò illa libertas eligendi quoad perſonas actutum compromiſſum conſtituit, cùm & juris arbitri ex conſenſu partium per ſortitionem, dicti ex hâc cauſsâ *διαιτηταὶ κληρωτοὶ* (vid. *Pollet. 5. hiſtor. for. Roman. c. 7.* & poſt alios allegatos *Hillig. ad Donell. 17. Comm. 24. lit. K.*) potuerint eligi, qui tamen exinde non ſtatim etiam veri erant compromiſſarii. Deinde hi Electitii aſſumebantur etiam in causſis criminalibus, ipſiq; Clerici apud eos confitebantur ſua crimina, ut ipſorum verecundiæ, Eccleſiæ opprobrio, ac inſolenti inſultationi ſecularium, veluti ex *Flodoard.* rem eloquitur *Joſeph. Gibalin. disquiſit. Canonic. de clauſulâ regular. 1. c. 9. §. 1. n. 7.* eò commodiùs parceretur, quod iterum diverſisſimum in compromiſſariis. Non officit, quòd ab his electitiis appellari non licuerit, cùm hoc ipſum peculiare fuerit in Africâ, ut notat *Ciron. d. l.* de quô tamen etiam videndus *Gonzalez ad c. 2. ✠. h. t. n. 15.* Sed nos quidem hæc folia Sibyllæ aliis feliciùs interpretanda committimus.

XLV. Cum his noſtris Compromiſſariis tandem etiam convenire vulgo creduntur pacis conciliatores, quos alii ſequeſtres, internuncios, pacis ſuaſores, inſtinctores, auctores, vulgus *mediatores*, (de quâ voce vid. *Voſſ. 1. de vit. ſermon. latin. c. 18.* & ad *Prudentium Buchner.*) nominare ſolent. Vetuſtisſimum hoc eſt bellum vel avertendi vel ſopiendi remedium, recentioribus temporibus quoq; uſitatum. Ita pax inter Carol. V. Cæſar. & Galliæ Regem Franciſcum I. duarum ſummi loci matronarum, Margaretæ nimirùm Auſtriacæ, Cæſaris amitæ, & Ludovicæ Sabaudæ, Matris Galliarum Regis, operâ ac ſtudio, ann. 1529. Cameraci inſtituta obtentaq;, ut verba habent *Pontani. 2. Hiſtor. Geldric. ad d. ann.* ſic pacis diſceptatores &

con-

130.

conciliatores inter Carol. Regem Franciæ, & Franciſcum, Britanniæ Ducem, apud *Polydor. Virgil. 26. Hiſt. Anglic.* Henricus VII. Rex Angliæ; apud *Grot. 1. Annal. Belgic.* inter Philippum, Hiſpaniarum Regem & Belgas Maximilianus II. Imperator; apud *Hieronym. Coneſtag. de Portugall. & Caſtell. conjunct. ſub. fin.* inter Henricum Luſitaniæ, & Philippum Hiſpaniarum Reges Pontifex Romanus ſe obtulerunt. Recentiora exempla adducere ſtudio ſuperſedemus. Opportunum etiam præterea inprimis hoc eſt remedium, uti monet exemplisq; confirmat Vir olim Magnificus omniq; civili cognitione actuq; præluſtris (encomiaſtâ *Bœclero noſtro in Diſſert. Hiſtoria Schola PP. c. 2. §. 8.*) *B. Dn. Forſtner.* ſi utraq; pars litigantium, bellis feſſà, pacem quidem tacitè ſuſpirat, eam tamen ab hoſte apertè petere infra ſuam dignitatem arbitratur. Attamen hos Mediatores (liceat ita cum vulgo & hodierno uſu loqui) arbitratorum potiùs, quàm arbitrorum vices gerere, rectè oſtendunt *Ziegler. ad Grot. 2. de J. B & P. c. 23. §. 8.* & *Puſendorf. d. c. 13. §. 7.* Cæterùm de his mediatoribus eorumq; officio, quod potisſimùm fide, æquitate & induſtriâ continetur, (conf. *Virgil. 7. Æneid. verſ. 535. duobusq; ſeqq.* ubi præterea ſenectus atq; adeò auctoritas & potentia in mediatore ſuſpicitur) uberiora longè & accuratiora te docebit *Præceptor meus quondam B. Dn. Bœclerus ad 1. Annal. Tac. 10 §. 5.* & in *Diſſert. Grotianâ: Quies in turbis*, ubi & benè defendit, pacem imperari non poſſe citra jus imperii. Sed finiendum tandem aliquandô. Concludam igitur hanc Diſſertationem verbis *Antonini ex lib. 6. de vitâ ſuâ*, quibus etiam ſuam Inauguralem olim finivit Excell. DN. PRÆSES; Εἴ τίς με ἐλέγξαι, καὶ παραστῆσαί μοι, ὅτι οὐκ ὀρθῶς ὑπολαμβάνω, ἢ πράσσω, δύναται, χαίρων μεταθήσομαι. Ζητῶ γὰρ τὴν ἀλήθειαν, ὑφ' ἧς οὐδεὶς πώποτε ἐβλάβη. βλάπτεται δὲ ὁ ἐπιμένων ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ ἀπάτης καὶ ἀγνοίας.

FINIS.

I.

CUjus judicii ſubactioris,
maturæq́; potentiæ arbitrandi,
nec non eloqvii venuſtioris,
ac olim ſolidæ eruditionis,
factæq́; indolis undiqvaq; ad ungvem,
pridem de cathedrâ ſacræ Themiſtæ,
plauſum voce manuq́; more priſco
ter qvaterq́; ſonante concione,
arbiter fuerat beatus ille
noſtræ CREGELIUS ſcholæ anteceſſor:
GUMPELZHEIMERIUS replere rurſus
ceras qvadrivio recens capaces
infractis humeris ſtyloq́; tentat.
HAMMERUS novus arbiter vocatus,
arbiter catus, optimus, peritus,
Doctor juris & æqvi, amorq́; Phœbi,
calculo probat hos ſuo labores.
Votis proſeqvimur piis eosdem:
Tangat nempe ſcopum, ferire dudum
qvem virtus docuit, cupiti honoris,
Cœlum vertice tangat & ſublimi.

Ex-

Exæqvet meritisſimi Parentis,
rebus patriæ idoneus gerendis,
ſplendorem celeberrimumq; avorum
& ſuæ decus unus omne gentis.

Benevolentiæ ac honoris ergò
Nobil. Dn. Gumpelzheimero,
Amico ſingulari
ſcrib.

Johannes Saubertus, SS. Theol.
Doctor, Profesſ. Primarius, Eccleſiæ Antiſtes & Collegii Theol. h. t. Decanus.

II.

Sic tandem in flammas rumpit vis ignea
mentis,
Et prodit raræ ſedulitatis opus! *(tus,*
Dilaudant Patres, ſtupet edecumata Juven-
Ipſe pater Phœbus plaudit ovando Tibi.
Egregiā certè laudē, & ſpolia ampla reportas;
Sed laus uberior, ſi benè pergis, erit.
Te PATER ÆNEAS, *&* AVUNCULUS *ex-*
citet HECTOR;
His olim ſuppar, ne minor, opto, fuas!

Nobilisſimo Dn. Diſputaturo, Auctori & Conſalino per integrum fermè luſtrum æſtumatisſimo, prolixô animô gratulaturus omnisq; felicitatis magmenta ſincerè adprecaturus deproper.

Præses.

 III. *Arbi-*

III.

ARbitrium hoc monſtrat *magnas* componere lites,
Magnatum fias *arbiter* ipſe, precor!

Voto hoc cordato Nobilisſimo Dn. Gumpelzheimero, LL. C. *dignisſimo, ob præſens de Arbitris Compromiſſariis egregie elaboratum ſpecimen, arbitrium Eruditorum ubivis æquisſimum & gratioſos Patronos, qui raram Eruditionem condignis excipiant præmiis, larga manu exoptare voluit*

Heinricus Linck/ D. & Pand. P.

IV.

ARbiter hic monſtrat, Tua quanta ſcientia juris,
ſint quanta dotes Ingeniiq; Tui.
Arbiter hicce Tuus tribuet Tibi carmina Laudum,
Arbiter aut nullus Lauda probanda feret.

Paucis hisce,
Nobilisſimo & eleganter Docto
Dn. Authori,
Politisſimi hujus ſpeciminis
optima quæq; apprecatur

Joh. Ant. Geiger/ D. & Inſtit. Imperial. P. P.

V. AMI-

V.

AMICE, mores entheos poſtquam tuos,
Et plenum honeſto pectus atque cæteras
Dotes feracis indolis, ſuſpeximus
Multum diuque: Nunc, volens diſcedere,
Prius cathedram ſcande, teſtes nos vocans,
Magnæ tuæ doctrinæ, acuminis tui,
Solertiæque; Imago quo ſemper tua
Trabalibus confixa clavis hæreat
Nobis, nec unquam deſinant laudes tuas
Noſtræ Camœnæ, quæ te colunt, teque amant.

Amicitiæ teſtandæ cauſa
L. M. Q. fac.

Joh. Chriſtophorus Wagenſeilius, D.

VI.

Dum meditare Vale, GUMPELZHEIMERE, *Camœnis*
Dicendum Noſtris; non placet ire priùs
Quàm clarum ingenii ſpecimen Studiiq; dediſſes,
quàm conſtet qualis hinc abiturus eras.
Sic multi, hic quoties poſthac dicere fuiſſe,
Nec fruſtrà, dicent, hic Bonus ille fuit.

Ita Nobilisſimo & Humanisſimo Dn. Reſpondenti, ſecundùm Juris nobilisſimam ſcientiam, melioris quoque Cujusvis literaturæ ac ſpeciatim Artium Mathematicarum quoq; æſtimatori Cultorique induſtrio, Amico ſuo Honorando, gratulari de hoc publico eruditionis haut vulgaris ſpecimine, voluit

M. Joh. Chriſtophorus Sturmius,
Mathem. & Phyſ. P. P.

VII. J. BO-

VII.

I, BONE, quò Tua TE Virtus vocat! I pede fauſto!
Remige TE BONA ſit quæ BONA nunc RATIS eſt!

Nobiliſſimis Majorum propriisq; Virtutibus Fulgentiſſimo,
DN. GUMPELZHEIMERO,
Amico ſuo æſtimatiſſimo,
ſincerâ hæc mente precatur
D. G. Mollerus, Hiſtor. & Metaph. P.P.

IIX.

Hiſtoriæ generalis honor ſit quantus & uſus,
ſi ſit judicio condita & arte probè,
Diſſeruiſti olim BOECLERO *Præſide fretus,*
Quo vix, heu! vixit major in Hiſtoria.
Mox animo magno Themidos converſus ad Artem,
Noctibus es viſus continuare dies,
Auditusq;, Palæcome plaudente, ter, alta
Ex cathedra oppoſitas explicuiſſe plicas.
Sed nunc, quando doces, teneat quæ cura Sequeſtros;
Creditur Hiſtoriæ cura rediſſe prior:
In Te nempe valet, vulgata parœmia, primus
vix unquam toto pectore cedit amor.
Quin age, junge duas porrò ſine crimine Divas,
Hinc Legum Lucem; Temporis inde Facem!
Ut duo conſervant meliùs retinacula navem,
ſic gemino ſtudio tutior eſſe potes.

Tam avitæ ſtirpis,
quàm propriæ Virtutis
gloria ac laude
Nobiliſſimo ac Florentiſſimo
DN. GUMPELZHEIMERO,
Amico ſuo æſtimatiſſimo
mente boni ominis ac voti pleniſſima
applaudens, ſcribebat
M. Juſtus Jacobus Müller/ Alumn.
Noric. & Oeconomiæ h. t. Inſpector.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE